

1686.

1. Berger, Joh. Henr.: De levis notae macula.
2. Berger, Joh. Henr.: Necessitatem curatoris in actis mulierum publice exhibet . . .
3. Brendel, Joh. Karp: Usum fructum rei fungibilis . . . publico . . . examini sistit.
4. Brendel, Joh. Karp: Inofficium testamenti querelans . . . publico examini sistit.
5. Brendel, Joh. Karp: De legitimatione per subsequens matrimonium.
6. Falcke, Nath.: Sententiam de stabilito imperio per coactionem conscientiarum in negatio religionis . . . ulteriori~~is~~ discussioni sistit.
7. <sup>a</sup>Heber, Georg Mich.: De jure ignotorum
8. Leiser, With: De jure mutui
9. <sup>a</sup>Lyser, With: In actione negatoria utrum actor probare debeat, an reus? 2 Exempl.
10. <sup>a</sup>Leiser, With: De contractibus, qui in scriptis fiunt. ad l. contractus 17 l. de fide instrum.



11. Ludovicus, Joh. Georg: Dissertationis academicae, generatim  
subjectum legis naturalis vindicantes
12. Naevus, Joh. Carolus: De potestate principis circa  
jurisdictionem et disciplinam ecclesiasticam.
13. Wuffhant, Li. Fridor: Quid homini naturaliter  
pro vitae licet?
14. Ziegler, Karpus: De privilegiis militum.
15. Ziegler, Karpus: De rebus pro relictis  
habitis
- 16<sup>a. b. c.</sup> = Ziegler, Karpus: De jure exigendi collectas  
et dationem filiarum illustrium. 3 exempl.
17. Ziegra, Christianus Sam: De monasteriis pontifi-  
cium et oneribus tempore belli Turcici non  
peritus exemptis
- 1687.
1. Berger, Jo. Henricus: Fontes adjectiarum  
qualitatum.
2. Berger, Jo. Henricus: Renunciationem jurium.

1687

3. Berger, Jo. Henricus : De jure rerum pertinentium.
4. Berger, Joh. Henricus : De privilegiis aegrotorum.
5. Brendel, Joh. Kaspar : Privilegium dotis in con-  
cursu creditorum.
6. <sup>a</sup>Brendel, Joh. Kaspar : Jura fidejussionis.
- 6 <sup>b</sup> ~~Brendel~~ <sup>c</sup> Graun
7. Heber, Georg Mich : De jure eligendi.
8. <sup>a</sup> Kirchmayer, Georg Kasp : Latinitas legalis praeter  
8 <sup>b</sup> ~~mensuram suspecta~~, . . .  
8 <sup>c</sup> ~~Kirchmayer~~
9. Leiser, Wilhelm : De prerogative jurisdictionis.
10. Leiser, W. Chelun : De crimine caesae majestatis.
- 10 <sup>b</sup> Leiser, W. Chelun : De crimine caesae majestatis.
- 10 <sup>c</sup> ~~Leiser, W. Chelun~~ : De reservatione juris incompetentis.
11. ~~Leiser, W. Chelun~~ : <sup>a</sup> Hominem ad se conservandum  
obligari . . . demonstrare conatur.
- 11 <sup>b</sup> Schöpfesser, Herr Samuel : Propositiones historico-geo-  
graphicae . . . disseret atque defendet . . .
12. Thiele, Joh : De usu et abusu potestatis calidii cum  
serba Thee
13. Werschkman, Joach : Promissionem ob turpem causam  
non esse obligatoriam . . . defendet



1687

14. Wendius, Joach. Formicell: Nabalium apud Veteres  
solemnitatem . . . proponunt.
- 15<sup>a-6</sup> = Ziegler, Karpar: De praedictis censiticis  
zw. alibus 2 Exempl.
16. Ziegler, Karpar: De pubertate proximis  
comunque juribus.
17. Ziegler, Karpar: De jure successionum et  
heredum.





1705  
72  
9  
1686  
72  
8 1/2

Q. D. B. V.

De

JURE IGNO-  
TORUM,

Consensu

NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS

In

Academia Wittenbergensi

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII MICHA-

ELIS HEBERI, J. U. D.

& PROF. PAND. PUBL.

*differet publicè*

*Hujus Disputationis Auctor*

GEORGIUS FRIDERICUS Lingke,

DRESDENS.

*Ad d. XXIII. Jun. MDC LXXXVI.*



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHEI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

LIBRE EIGNO  
T O R M M

Consensus  
Nominau J. G. O. M. O. P. N. I. S.  
in  
Academiae Wittenbergensis  
Sub Praesidio

DAE GEORGII MICHAELIS  
F. L. S. H. E. R. B. E. R. I. T. I. D. D.

et Prae. P. A. N. S. P. A. R. I. S.  
officiarius  
Super Dissertatione  
GEORGII FRIDERICI  
P. R. A. E. S. I. D. I.  
M. A. G. I. S. T. R. I. T. I. C. I.  
P. R. A. E. S. I. D. I.  
P. R. A. E. S. I. D. I.  
P. R. A. E. S. I. D. I.





I. N. J.

CAPUT I.

*De Natura Vocabuli Ignoti.*

I.

**I**ura ignotorum exposituri in principio statim ductum Jcti Ulpiani sequimur, qui è re esse statuit, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre in *L. 1. ff. de R. C.* Intellectis enim vocibus earumque virtutibus rectius res ipsa intelligitur, & intellecta facilius determinatur, *arg. l. 27. ff. qui test. fac. poss.* Quamobrem dicamus breviter quomodo hic nobis vocabulum Juris veniat, & quid verbo Ignoti contineatur.

II. Vocabulum Juris diversimodè apud Jctos sumitur cujus omnes acceptiones referre hic operæ pretium non est. Videri potest *L. 11. § 12. ff. de J. § J. Calvinus in Lexic. Jurid. voce Juris Habr. ad Wesenbec. Tit. d. J. § J. n. 14. Coll. Jur. Argent. cod. n. 5.*

III. Nos in præsentî Dissertatione verbum Juris cum *Hug. Grotio lib. 1. cap. 1. De J. B. § P.* accipimus pro facultate morali ad aliquid justè agendum vel habendum.

IV. Quod vocabulum *Ignotus* attinet sunt quidam, qui natales ejus repetunt à Præpositione In & verbo primitivo Notus, & ultimam Præpositionis literam N. à Latinis Euphoniæ gratiâ in G. mutari asserunt. Alii ab In & Gnotus derivant, ultimam Præpositionis literam N. in compositione pe-

A 2

rere

rire opinantes. Illi verbum Nosco à Græco *νόστω* deducunt, & auctoritatem Prisciani allegant, qui *Lib. 2. cap. de Syllaba*, ita scribit: Est quando N principalis Syllabæ ante se assumit G, ut Natus, Gnatus, Notus, Gnotus antiqve, Novi, Gnovi. Iidem ad Ciceronem provocant, hac ratione in Oratore scribentem: Noti erant & navi & nari, quibus cum In præponi oportet, dulcius visum est, ignoti, ignavi, ignari, dicere quàm ut veritas postulabat. Hi contra à Græco verbo *γνώσκω* descendere affirmant & pro confirmanda ista opinione Diomedem adducunt: Sic enim ille *lib. 1. cap. De dubia verborum positione*: Gnoscit ait Cæcilius, quoniam & præpositione additâ Agnosco, cognosco, & Ignosco dicimus. *Vid. Joh. Gerhard. Vossius in Etymol. Lingu. Latin. vocab. Nosco; Martini in Lexico Philologico, voce Ignotus.* Controversiam hanc Philologis decidendam relinquimus, eo interim contenti, Ignotum in genere nihil aliud esse, quàm quasi non notum, & idem significare, ac Incognitum, Non visum, Occultum; Germanis, *was einem nicht wissend oder unbekandt ist.*

VI. Sumitur autem vocabulum Ignotum vel adjectivè pro omni eo, quod ignotum nobis est, sive quod ignoramus, vel substantivè pro ignoto quodam, sive de personâ ignotâ. Hoc modo Ignotus aliquis dici potest vel Activè, vel Passivè, ut scholastici loquuntur, talis. Activè ignotum illum vocamus, qui non novit aliquem, sive cui aliquis est incognitus. Ita hoc vocabulum apud Autores Clasicos invenimus. Sic enim Cornelius Nepos de Agesilao *cap. 8.* in vita ejus refert: Quod ignoti faciem ejus cum intuerentur, eum contempserint, scilicet, qui naturam quidem fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, maleficam autem nactus erat in corpore. Sic Cicero *lib. 5. ad Famil.* Ignotis nota faciebat, *Idem lib. 5. in Verr.* Producere ad Ignotos inquit. *Vid. Bosius in Ind. ad Cornel. Nepot. in voce Ignotus.* Eodem modo in Ju-  
re

re nostro etiam accipitur: Sic enim *in l. 2. §. fin. ff. de Jure Fisci*. Ignotus Juris sui ille dicitur, qui Jus suum non novit, sive ignotum habet. *Vid. Calvinus in Lex. Jurid. all. loco.*

VII. Passivè autem Ignotus dicitur ille, quem quis non novit, seu qui alicui est incognitus. In hac significatione etiam in LL. nostris occurrit quàm sæpissimè. Ita enim *in §. 10. Inst. & l. 15. §. 14. ff. de Excus. Tutor.* sumitur de Tutore, qui ignotus fuit Patri Pupillorum. *In §. final. Inst. l. 46. ff. & l. 11. Cod. de Hæred. Inst.* de hærede penitus ignoto, quem Testator nunquàm vidit. Sic invenimus *in l. 1. Cod. de Thesauris. de Domino thesauri*, qui ignotus est. *Item in l. 29. Cod. de Donation:* de ignotà personâ, cui aliquid donatum est. Porro *in l. 5. Cod. de furtis.* de ignoto, à quo aliquid emptum fuerit. Et tandem *in Novell. 90. cap. 1.* de Teste, qui ignotus fuerit. Ejusmodi Ignotum passivè sumptum *Menochius Conf. 204. num. 32, ex l. 1. §. 8. ff. de Cognat.* illum dicit, qui nondum est in rerum naturâ, sive adhuc in utero latet, Et pari sensu etiam hæredem institui posse ignotum innuit *all. l. 11, ibi penitus ignotum Cod. de Hæred. Inst.*

VIII. Cæterum definimus Ignotum quod sit persona, quæ demonstratione Juridica definiri nequeat, h. e. quæ vel de facie, vel quoad cæteras qualitates, vel utroque modo est incognita. Inter ejusmodi qualitates autem omninò referendum est, Si e. g. nomen, domicilium, urbs, ætas, mores, officium, vel artificium alicujus personæ sciri non potest; *Vid. Dyonis. Gothofr. in notis ad Nov. 90. cap. 1.*

IX. Equidem Incerti quoque communiter quoad personam sunt ignoti, cum quales sint ignorentur, uti describuntur *in l. 75. pr. & §. 1. ff. de Verb. Oblig.* Unde etiam ut plurimum apud Autores cum ignotis confunduntur, & eorum nomine nonnunquam veniunt. Ita enim *in l. 39. §. ult. ff. de Verb. Significat.* Incertus possessor ille dicitur, quem ignoramus, h. e.

A 3 qui

qui nobis est ignotus, vel incognitus. At verò si accuratius perpendamus maximè ab ignotis, propriè sic dictis tamen differunt, & potissimum in eo quidem, quod incertorum persona non possit demonstrari, *d. l. 75. ff. de Verb. Obl. sive ut in §. 25. Inst. de Leg.* Imperator loquimur, quod incertà opinione animo concipienda sit; Et sic per se sit incerta, & incognita, h. e. de qua non constat, an ejusmodi persona sit & inveniatur. *Vid. Hottoman. ad §. 8. Inst. de Excus. Tut. vel Cur. It. Dn. Strauch. Diss. de Incertis Personis cap. 3:* Ignotorum verò utique demonstrari possit, ac sic in se sit certa & nota, saltem quoad accidentia, nomen scil. formam, ætatem, honores, & similia sit incerta & ignota, quæ tamen incertitudinem propriè sic dictam non faciunt. *Vid. Vinnius ad §. ult. Inst. de hered. Instit. Manzius Ibid. Et ad §. 8. Inst. de Excus. Tut. vel Cur.*

X. Neque obscure differentiam inter ignotos & incertos ipsæ suppeditant LL. nostræ. Siquidem *in l. 9. ff. de Heredibus Inst.* Nemo qui incertus est hæres potest institui. Ignotum autem posse hæredem institui abundè docet *l. 11. C. de Hered. Inst.* Incertis Personis olim neque Legata neque Fideicommissa potuerunt relinqui; uti Imperator Justinianus *in §. 29. Inst. de Legat.* probat. Quod etiam adhuc post deperditam Justiniani Constitutionem, cujus *in §. 27. Inst. eod.* meminit, ac in quâ quodammodo hoc correxit, in usu esse DD. autumant. *Vid. alleg. Disp. de Inc. Pers. cap. 3. §. 6.* Ignoto autem Legata & Fideicommissa relinqui potuisse *arg. l. 46. ff. de hered. inst.* constat. Sic Tutor incertus dari haud potest, uti expressè Justinianus *in §. 27. Inst. de Leg.* prohibet, quem tamen ignotum esse posse, sufficienter *§. 10. Inst. de Excus. Tut. vel Cur.* confirmat.

XI. Hac de Originatione, natura & significatione vocabuli Ignoti dixisse sufficiant, convertimus nunc nos ad ejusdem jura, & quid circa ea LL. nostræ disposuerint, sequentibus capitibus subjiciemus.

CA-

## CAPUT II.

### *De Ignotis ex Jure Publico.*

I. Initium autem facimus de his quæ ex Jure publico ad Ignotos pertinent. Ubi primò considerandum disquirendumque nobis venit, An ignoti in civitatem sive urbem introuendi sint? Id quod sanè affirmare simpliciter non audemus, ne hâc ratione malitiosis & maleferiatis hominibus viam aperiamus aduersus securitatem Reipublicæ aliquid committendi, aut cives vitis suis corrumpendi, quos tamen eiecisse interest expeditque Reipublicæ. *l. 13. ff. de Off. Præsid.* Ita quoque nec omninò negare illud volumus, cum exinde vel officia humanitatis negligi, vel commercia gentium ita impediri possint, quæ tamen omnibus modis in quâvis bene constitutâ Republicâ promovenda sunt. Quamobrem cautione hic opus est, ita ut in illos, qui introitum petunt sollicitè inquirendum sit, unde sint, cujus conditionis, & quid negotii ipsis in civitate expediendum. Quos enim intra mœnia ad cætum civilem admittimus discernere non minus refert; quàm Patrisfamilias interest, nosse quos adibus suis recipiat. *Vid. Mavius ad Jus Lubecense lib. 1. tit. 2. artic. 2. n. 62. It. Dn. Stryckius in Vol. 1. Disp. de Saccul. & Directar. cap. 3. n. 40.*

II. Eò pertinet Imperatoris Justiniani *Novella 80. cap. 1.* qui securitati Urbis Constantinopolitanæ prospecturus certos Inquisitores, quos Ereunadas in prædicta Novella appellavit, in præfata urbe constituit, qui in cujuslibet adventantis negotia accuratè inquirerent, & otiosis hominibus civitatem purgarent; Sic enim se habent verba ejus: *Volumus autem cingulum habentes hoc, respicientes ad Deum, nostrumque timorem, & legem, requirere ad magnam hanc civitatem venientes, ex quacunque provincia sint, viros, sive mulieres, aut clericos, seu monachos, vel monachas, sive exterarum civitatum advocatos, aut alterius cujuscunque fortuna vel dignita-*  
*tis*

ris existant, & perscrutari qui sint, aut unde venerint, & quâ occasione &c.

III. Neque in desuetudinem abiit hodie probata hæc & maximè salutaris consuetudo, siquidem in Serenissimi Saxoniz Electoris nostri provinciis, in Electoratu Brandenburgico, imò in totâ ferè si rectè scio, Europa, & in quâvis benè constituta Republica eandem observari, neminemque qui peregrè veniat sine speciali in vitam & negotia ejus inquisitione in urbem intromitti, quotidiana docet experientia.

IV. Habemus de hoc speciale Ser. El. Brandenburgici Edictum de Ao. 1665, quod legitur in corpore Juris Militaris Everhardi Hoyers. p. 230. §. 10. So sollen die Comendanten und Magistraten jedes Orthes/ oder denen sonst eine Post anvertrauet ist/ mit höchsten Fleis dahin sehen/ daß in denen Thoren keine verdächtige Personen eingelassen / noch wenn sie nicht bekant sind ohne genugsame Rundschafften passiret / sondern wenn die jenigen Officirer oder Burger / so die Wache gehabt / das geringste darinnen versehen / deshalb zur Straffe gezogen werden.

V. Idem Illustrissimus noster Legislator in Ordinatione, quam Ao. 1680. de Peste promulgavit speciatim etiam prohibuit, quod nemo scilicet qui ex alienis locis adveniat, in urbem debeat admitti, nisi literis, ut vocant, patentibus, certisque testimoniis probaverit, se in nullo contagioso atque pestifero loco 40. dierum spatio commoratum esse. Adscribam verba, quæ num. 3. sic se habent: Von einem jeden zwar unverdächtigen / doch denen inficirten nahe gelegenen Orthen sollen Personen ehender und anders nicht / Sie haben denn beglaubtes und genugsames Zeugnis oder Pässe von ihrer ordentl. Obrigkeit fürzuweisen / eingelassen / auch die jenigen welche zwar Pässe haben / doch gleich wohl nicht gar ausser Verdacht seyn / noch befinden / daß sie innerhalb 40. Tagen an keinem von der Pestilenzischen Seuche angesteckten Orthe gewesen / zu Abschwehrung eines körperlichen Eydes angehalten werden.

It.



It. num. 7. Auf unbekantes Herrenloses Gefinde zc. soll absonderlich genaue Auffſicht genommen / und ſelbige / wenn ſie gleich mit Pässen verſehen / nicht paſſiret werden.

VI. Neque hoc immeritò, ſiquidem triftis ſuperiorum temporum memoria nos abundè docuit, nunquam morbum hunc peſtiferum citius potuiſſe propagari, urbeſque infici, niſi per ignotos ejuſmodi homines; Unde cauti providiqve Magiſtratus optimè ſibi proſpiciunt, ſi in adventantes accuratius aliquantisper inqviſitionem inſtituant; Imò & popinarum hoſpites arctius conſtringant, ut & hi in hoſpitibus recipiendis delectum habeant; ſiquidem neque illis ignoti eſſe debent, quos ædibus ſuis recipiunt. *l. ſin. §. 4. ff. Naut. Caup. ſtab. l. penult. §. 2. ff. de his qui effuderint vel dejecer. Vid. Dn. Stryck. all. Diſp. cap. 3. n. 40.*

VII. An Ignotis juſ civitatis concedendum ſit, ſecundò quæritur? Etiam hoc non facilè fieri debere, priuſquam ex diligenti inqviſitione de origine ipſorum, vita, moribus, fortuna & mediis ſe ſuſtentandi conſtiterit, dicimus. *Alleg. Nov. 80. cap. 5. in fine* Eſt enim Reipublicæ interſit ampliari imperium hominum adjectione, *l. 7. §. 3. ff. Bon. Damn. ac per conſtitutionem Imperatoris Antonini omnibus in univerſo Imperio Romano Juſ civitatis datum ſit, l. 17. ff. de ſtatu hom. nec alicui facilè id auferre vel negare liceat, arg. §. ſin. Inſt. de ſatisd.* ut tamen promiſcuâ fece populari civitas non repleatur, nec omnes indiftinctè ad jura civium admittantur, maximoperè præcavendum eſt. Ex hoc enim neglecto, turbas, imò interitum opulentis civitatibus eveniſſe multis exemplis hiſtoria docet. *Vid. Ariſtot. lib. 5. Pol. cap. 3.*

VIII. Præcipuè verò in illos ideò inqviſendum eſt, ne fortasè contra LL. aliquibus Juſ civitatis conferatur. Non enim recipiendi ſunt Hæretici, *l. 2. l. 4. Cod. de Hæret. Banniti. R. A. de Ann. 1522. §. Ob aber Ord. Camer. part. 2. tit. 10.*

B

§ 12. Judæi, quorum receptio hodiè inter regalia numeratur, nec concessa, nisi quibus Imperator permiserit, *A. B. tit. 9. in fin. Ord. polit. de Ann. 1548. §. Item nachdem; Sixtinus de Regal. lib. 1. cap. 5. n. 19.* Infames vitæ & victus genere, quales sunt, lenones, usurarii, circulatores, &c. Aliorum cives & subditi, *A. B. tit. 16.* unde quoque nemo in numerum civium accipi solet, nisi documenta attulerit à magistratu, sub quo antea vixit, sui discessus & quomodo se gesserit: *Schepliz. ad consuet. Brandenb. p. 4. tit. 14. §. 1. n. 2.* Imò neminem ad Jus civitatis admitti, nisi fidejussores præstiterit, se liberum esse neminiqve subjectum tradit *Christ. Lud. Dieth. in Contin. Th. Practici Besold. voce Bürger. Vid. Dn. Struvius in Syntag. Jur. Civil. Exerc. 50. tb. 50. Maxius ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 2. Art. 2. n. 62. seqq.*

IX. Maximè Veteres Germani in hoc inquirendi genere solliciti fuerunt, quippe qui singularem libertatis suæ curam habentes adeò diligenter de statu ac conditione ejus, quem civibus adscribere volebant, quæsiverunt, ne pro libero forsan servum, aut vilem quamcunqve personam inter se susciperent. Hinc omnis ille, qui in eorum ordinem aspiraret, ante omnia speciali testimonio, quod suâ lingvâ *Mannrecht* vocabant, libertatem, justamqve nativitatem suam probare tenebatur. Ita enim de illis testatur Lehmannus hisce verbis: *Es ist aber zuvermuthen / daß oft die Städte und Obrigkeiten durch leibeigene ansehnliche Leute müssen seyn hintergangen worden / als wenn sie freye wären / weil man in folgenden Zeiten solchen Betrug mit diesen Mittel begegnet / daß ein jeder so zum Bürger wollen in Städten aufgenommen werden mit Brieflichen Schein / so man MannRechte nennt / müssen darthun / daß er niemandes eigen Mann sey / oder nachfolgenden Herrn habe. In Chronico Spirens. Lib. 2. cap. 20. §. Ferner ist / pag. m. 101.*

XI. Eandem fermè consuetudinem adhuc apud nos in usu habent opificum collegia, die *Handwercks-Zünffte* / quan-

d-

doquidem neminem ignotum facile in suum corpus adsciscere videmus, nisi in scriptis vel aliunde legitimas suas natales, libertatem honestamque suam vitam satis superque probaverit. *Dn. Serv. Exerc. 7. tb. 20. Habn. ad Wesenb. tit. ff. de his qui not. infam. n. 8.*

XI. Indè in multis quoque Imperii locis literæ, de legitima nativitate testantes, die *Geburths-Brieffe* / invaluerunt, quæ adeò tenaciter observantur, ut nemo sanè in collegium adsciscatur, nisi ante omnia per illas probaverit; *Das* er in stehender Ehe / aus einem untadelhafftigen Ehebette / recht / echt / ehrlicher teutscher Nation / und redlichen Herkommens / noch jemand mit einiger Leibeigenschaft verbunden / noch verpflichtet / erzeuget und gebohren sey. *vid. Philippi in Usu Pract. Inst. Libr. 1. Ecl. 39.*

XII. Ex his, quæ jam dicta sunt, facile tertia quæstio potest decidi, An ignotis ad officia Magistratus patere debeat accessus? Sanè quò nobilior atque præstantior est eorum dignitas, eò majorem quoque in eligendis illis curam atque diligentiam adhiberi necesse est. Hinc negamus planè ad clavum Reipublicæ tenendum ignotos esse admittendos. Non enim obscuro debent esse imperaturi, *Cic. lib. 3. de Orat.* Neque beneficia, quo Magistratuū officia etiam pertinent, exteris & alienigenis conferenda. *Job. Azor. in Inst. Moral. Part. 2. lib. 6. cap. 4. qu. 25. Cassiodorus in Variis lib. 12. Reser. 9.* Quippe vilescunt plerumque Magistratus, quoties ignotis & obscuris hominibus deferuntur, *l. 7. §. 2. ff. de Decur. Authent. Presides in princ. Cod. de Episcop. Audient. Nov. 15. cap. 6. in fine.*

XIII. Hinc maximè in eorum vitam quos Magistratus esse volumus, inquirere jubent LL. Ne fortè assumamus sordidos & abjectos homines, *l. 6. C. de Dign.* quibus olim continebantur trapezitæ, gemmarum, argenti que vestiumve venditores, apothecarii etiam *l. 12. §. 3. C. de Cohort. Princip. improba-*

ex vitæ viros & notatos infamiâ, l. 2. C. de dignit. l. un. Cod. de  
Iufam. l. 1. Cod. de his qui non impletis stip. Illos, qui cæsi sunt  
flagellis, l. 12. ff. de Decurion. Qui rei sunt publici criminis, l. 17.  
§. 12. ff. Admunic. l. 21. §. 5. ff. Eod. l. un. Cod. de Reis postul. Hæ-  
reticos, in quibus continentur Judæi, l. 21. C. de Heret. quos ab  
honoribus prorsus excludit, l. 19. C. de Jud. & Coëlic. & Nov.  
45. in princip. Eos, qui ære alieno gravati sunt, l. 6. §. 1. ff. de  
mun. & honor. l. 1. C. de Debit. Civit. Hi enim variis intenti sunt  
artibus, ut nexu illo sese liberent, undè facilè lædi potest Res-  
publica. It. Pauperes, qui ita tenues & exhausti sunt, ut vix de  
suo victu se sustinere possint, l. 6. pr. ff. de Decur. Ambitiosos,  
l. unic. ff. de Leg. Jul. Amb. & alios ejusmodi homines, unde de-  
trimentum potius, quàm emolumentum sentire potest Res-  
publica. Vid. Carol. Scrib. in Polit. Christiano, l. 1. cap. 11. fol.  
176. Schönbornerus lib. 11. Politic. cap. 6. §. 7. seqq.

XIV. Certè apud Romanos Prætor in Urbe non pote-  
rat eligi, nisi qui probè erat notus, & larem atq; domicilium  
haberet, l. ult. Cod. de Off. Prætor. Sic etiam allegatus Azorius  
probat extare Regum quorundam, Principum, & Civitatum  
statuta, ac leges, utpotè in Arragoniâ, Castella, Navarra, Lusitania,  
item in Republica Venetorum, & olim in Anglia, Britan-  
nia, & Hungaria, quibus ne exteris atq; alienigenis, qui igno-  
ti essent, conferantur officia expressè sancitum, quem vide  
cit. loc. pag. 646.

XV. Nec minor quoque cura instituenda est in eligendis  
illis, qui ecclesiasticis functionibus præficiendi sunt. Iniquum  
enim est, inquit Magnif. Dn. Zieglerus in not. ad Inst. Jur. Ca-  
non. l. 1. tit. 27. §. 14. in fin. obtrudere Ecclesiæ hominem quan-  
doque ignotum, exterum, cuique nulla planè Ecclesiæ illius  
notitia. Id tamen multis modis in Ecclesiâ Pontificiâ fre-  
quentatum fuisse, & adhuc frequentari, exemplo Johannis  
XXII. ex Henrico Rebdorffio in Annal. idem ibidem probat.

XVI.

XVI. Verum enim verò si Canones Legesque inspiciamus, non quemlibet promiscuè ad munus Ecclesiasticum admittunt, sed tantummodo eum, qui idoneus & dignus habetur, *cap. 14. & 18. Extr. de filiis Presbyt. Ord. cap. 29. Ext. de Præbend. cap. 4. Extr. de Offic. Jud. Ordin.* Quomodo autem dignum judicare possumus illum qui nobis est ignotus, & cujus mores, vitam, & eruditionem ignoramus; Dignus enim dicitur ille, qui requisita & qualitates habet necessarias ad ministerium, cui præficiendus. *Carpz. in Jurisprud. Eccl. Lib. 1. tit. 5. def. 60. n. 1. ex Job. Baptist. Costa. in Tr. de Facti scient. & ignor.* Antequàm igitur requisita & qualitates non exploravimus, dignum certè appellare neminem possumus.

XVII. Indè potissimum quoque jubet Imperator noster Justinianus *in Nov. 123. cap. 1. & 12.* inquirendum esse in vitam antea actam, & an eruditionem literarum, lingvarum & S. S. Theologiæ cognitionem habeat. Quod confirmat etiam Jus Canonicam, *vid. Can. 1. & 2 Dist. 36. It. Can. 6. Dist. 61. Can. 4. Dist. 98. Add. cap. 7. Extr. de Electione, cap. 10. vers. pro defectu Extr. de Renunciat.*

XVIII. Hucque facit Ordinatio Ecclesiastica Ser. Elect. Saxonix *sub tit. Von Veruff aller Kirchen-Diener / S. zum vierdten / verb. und da dieselbe qualificiret und tüchtig befunden / daß sie in der Lehre rein &c. It. von Examine aller Kirchen-Diener / ibi, sollen sie auch mit besondern Fleiß und Ernst erkundigen / ob er in der Lehre rein / und nicht mit falschen opinionibus, oder schädlichen Irthümern in einem odern mehr Articuli vergiftet sey &c. Conspirat etiam Constitutio Consistorial. Elect. Brand. tit. 6. S. Und soll derjenige zc. Add. Brunem. in Jure Eccl. lib. 2. cap. 5. S. 10.*

*Tantum de Ignotis ex Jure Publico.*

B 3

CAPUT

### CAPUT III.

#### *De Ignotis ex Jure privato, & primò quidem circa Personas.*

I. Jus privatum vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, *l. 1. ff. de statu Hom.* Personarum jus circa triplicem hominis statum, Libertatis scilicet, familiæ & civitatis versatur. Quoad libertatem & civitatem circa ignotorum personas vix singulare quiddam constitutum est. Hinc potissimum hoc capite circa Jura familiæ occupati erimus, primum visuri Jus ignotorum matrimoniale, deinde Tutelare.

II. Quod primum attinet, primo loco se offert quaestio, An cum ignotâ personâ matrimonium contrahendum sit? Ad quam, non facile contrahendum esse, respondemus. Quod si enim ad amicitiam perpetuam stabiliendam tamdiu mores amici, quem animus est in consortium adsciscere, percontare & probare jubet *Aristot. 8. Eth. c. 4.* donec modium salis cum eo consumseris: Quanto magis id necessarium erit ad matrimonium, consortium omnis vitæ, *l. 1. ff. de Ritu Nuptiar.* feliciter ineundum. Amicum enim, cujus nos cepit satietas, facile cum gratiâ dimittere, & res suas sibi habere jubere possumus: Fœminarum autem asperitatem etiam inviti tolerare, & si sapimus, tacite musitare cogimur, *inquit Arniseus de Jure Connubii cap. 1. sect. 2. n. 6.*

III. Deinde notissimi quoque juris est consensu perfici matrimonia, *l. 30. ff. de R. J. C. 2. Caus. 27. Quest. 2.* Unde etiam Imperator Justinianus inter contractus refert, *l. ult. C. de Repud. Novell. 22. cap. 19. Nov. 74. cap. 4. princ. It.* Papa Innocentius IV. *in cap. 22, 26. & 27. Extr. de sponsal.* Et Gregorius IX. *in cap. 32. Ibid.* At verò quâ ratione consentire possumus dici in eam, quam penitus ignoramus, *inquit Glossa in s. Nec. illud XXX. qv. 5.* Consensus enim nihil aliud est, quam

mu-

mutuus assensus contrahentium. *Vid. alleg. Arnif. cap. 3. sect. 1. n. 13.*

IV. Benè loquitur *Cypræus cap. 9. §. 18. de Sponsal.* Si æqui Judices esse volumus, fateri cogimur, matrimonia illa, quæ inter personas ignotas contrahuntur, non amore aut benevolentia conciliari. Ideoque nec Deo placere nec probanda esse; Ex aspectu enim nascitur amor, & ignoti nulla cupido est.

V. Hinc malè faciunt Parentes, qui pueris suis dant puellas in cunabulis, vel his illos. *cap. Un. C. 30. Qv. 2.* Haud enim contrahi possunt matrimonia insciis & non consentientibus iis, de quorum re agitur, sed spectanda voluntas de cujus conjunctione tractatur, *l. 8. C. de Nupt.* Nec ex voluntate alterius contrahentis debent pendere contractus, sed ipsorum contrahentium, & quidem desideratur utriusque partis consensus, qui nisi accesserit, nihil agitur, *l. 17. l. 108. ff. de Verb. Obligat.* quare & sponsalia ac nuptiæ utriusque contrahentium consensu fiunt & constituuntur, *l. 11. ff. de Spons.* Habemus enim hac de re expressum textum *in all. cap. Un. Caus. 30. qv. 2.* Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. *Vid. Carpz. in Jurispr. Consistor. Lib. 2. Tit. 2 Def. 26.* Ubi latius adhuc exemplis ex *S. S. Genes cap. 28. v. 57. Et Tob. 7. v. 8. & 15.* probat. Etiam si itaque & pater & mater voluerint hoc conjugium, nihil tamen, est, nisi utriusque pueri puellæque consensus, postquam venerint ad annos discretionis adveniat. *cap. 4. & tot. Tit. X. de Desp. Imp.*

VI. Annon verò probandum est illud matrimonium, quod cum eâ, quæ de facie & formâ tantum ignora, contractum est? Hoc matrimonium valet. Nam non tam in formâ corporis fundatur matrimonium, quam decore animi. Et pulchra satis est, quæ virtuosa est. *cap. Unic. Caus. 29. qvæst. 1.* Sed necesse est, ut saltem de fama, vel alio aliquo modo sibi invicem notæ sint. *Vid. Colleg. Jur. Arg. de spons. n. 8. Dede-kenn. in Consil. Vol. 3. sect. 13. n. 2.*



VII. Inter absentes enim licet de facie ignotos jure perfecta possunt contrahi matrimonia. Sive id fiat per procuratorem, cum speciali mandato *cap. 9. de Procur. in 6to. l. 24. ff. de Ritu Nupt. & Nuncium*; Sive per epistolam *l. 4. 5. & 18. ff. de sponsal. l. 5. & 6. ff. de R.N.* Procurator enim vel Nuncius personam Domini repræsentat, & quod ab eo agitur, tanquam ab ipso Domino factum fuisse censetur. *l. 1. ff. de Procurat.* Et epistola etiam rectè contrahentium consensum exhibet; Nihil enim interest, literis, vel verbis voluntatem declaremus, cum non minus valeat quod figura, quam quod vocibus lingua figuratis exprimatur, *l. 8. ff. de obl. & Act.*

VIII. Apud Illustres certè personas & Principes, hoc per procuratorem & epistolam contrahendi modò nihil est frequentius; neque sponsalia tantum, sed & nuptiæ, quod matrimonium symbolicum vocant Publicistæ, inter eosdem fieri & Historiæ loquuntur & quotidiana docet experientia. Sic Maximilianus Imperator cum Caroli Ducis Burgundiæ filia per literas contraxit matrimonium, & ipsa literis jussu patris ad ipsum datis promisit, se nuptiis illis, ut à parente suo constitutum erat assentiri. *Comin. Lib. 8. Commentar.* Idem cum Anna, Francisci, Britannia Ducis, filia per Procuratorem Wolfgangum Polyæmum fecit nuptias, qui & deinde cum eadem thorum conjugalem ingressus est, & ficto concubitu, alterum scilicet crus genutenus inter stragula injiciens, matrimonium consummavit. Quamvis apud Carol. VIII. Gall. Reg. parum valuit ista religio, qui nuptias has imaginarias pro nihilo ducebat, & sponsam illi traditam ei eripiebat. *Polyd. Virgilij lib. 25. Hist. Angl. pag. m. 737.* Sic Carolus Angliæ Rex per Ducem Caprusium Henricæam Ludovici XIII. sororem in matrimonium accepit. *Gramond. Lib. 13. Hist. Gall. p. m. 621.*

IX. Neque hoc tantum inter Illustres personas locum habet, sed poterit etiam inter privatos eodem modo per nuntium,



tium, & epistolam contrahi matrimonium. *Cypræus c. 9. §. 15.*  
Ut verum fatear tamen, hic ultimus per epistolam contra-  
hendi modus non omninò videtur tutus, unde & eundem  
extra necessitatem non admittendum esse monet, *Perez. de*  
*Matrim. Disp. 15. sect. 9. n. 4. in fin.*

X. Hic quæritur, an cæcus etiam, qui propter defectum  
oculorum puellam de facie & quoad qualitates habet igno-  
tam, possit inire matrimonium? Sanè falsè quidem deridet  
*Juvenalis Satyr. 4.* Catullum Messalinum aulicum quendam,  
& monstri loco habendum, qui luminibus orbatus puellam,  
quam nunquam viderat, ardentè amabat:

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ,  
Grande & conspicuum nostro quoque tempore mon-  
strum,

Cæcus adulator, dirusque à ponte Satelles.

Sed nihil tamen videre possum, quid obstat quò minus rectè  
cæcus contrahat matrimonium. *Vid. l. 73. pr. ff. de Jure Dot.*  
Etsi enim oculis amorem haurire nequeat, animo tamen &  
naturali inclinatione satis illum potest concipere; Deinde  
etiam qualitates & mores puellæ à cognatis aut aliis suis fami-  
liaribus potest cognoscere, quippe qui sponsam ipsi idoneam  
eligere, & postea ab eo consensum, illam delineando, elicere  
haud incommodè possunt. Nec vitiabitur quoque matri-  
monium etsi cæco cæca, aut alio vitio laborans jungatur, mo-  
do cæco, quod futura conjux tali vitio laboret, reverà & cum  
omnibus circumstantiis fuerit expositum. Quorsum spe-  
ctat epigramma illud à *Cypræo de sponsalibus cap. 13. §. 69. n. 2.*  
relatum:

Uxorem claudus cæcam ducebat, uterque

Istius accepit commoda conjugii.

Cæca virum mulier claudum portavit, at ille

Portantis cæcum lumine rexit iter.

C

Mu-

Mutua sic debet cum conjugē vertere conjux,  
Officia, & tali gaudet amore Deus.

*Vid. Dn. Stryck. in Tr. de Jur. sens. Diff. 2. cap. 2. n. 1.*

XI. Potestne verò cœcus, qui simul surdus est, & mutus matrimonium contrahere? Negamus, quia in uxorem non consentire, neque consensum maximè ad matrimonium necessarium declarare potest. *Vid. Sanchez. de Matrim. lib. 1. Disput. 8. n. 13.* ubi tamen limitat, nisi ex accidenti ad hæc vitia pervenisset cœcus, & antequam in hæc incideret, nosset, quid esset matrimonium, quam tamen limitationem se non intelligere fatetur, *Dn. Stryck. allegat. Tr. Diff. 4. c. 2. §. 13.*

XII. Annon verò hoc fieri potest, si consensum suum alio modo declaraverit, e. g. per impositionem annuli? Ita quidem vult *Michalor de Cœc. Surd. & Mut. cap. 49. n. 32.* quem meritò inde notat, *Dn. Stryck. all. loc. cui & nos assentimur.*

XIII. Cæterum contrahi inter ignotas personas matrimonium potest, ubi aliquid etiam vel circa substantialia ignotum fuerit, vel circa accidentalialia. Si quis circa substantialia aliquid ignoraverit, tunc vitiatum matrimonium. Subsistit autem, si saltem circa accidentalialia quædam fuerint incognita. Hinc si quæritur, annon matrimonium cum ignotâ de facie contractum, cujus opes fuere ignotæ, valeat? Utiqve valere respondemus. *Can. Unic. c. 29. quest. 1.* Neque enim ad integritatem aut substantiam matrimonii quicquam faciunt bona fortunæ, quippe quæ adesse & abesse possunt, quin ne spectata quidem à contrahente præsumuntur. Id quod etiam de hoc ex ignorantia contracto matrimonio, etiamsi dolus ad illud causam dederit, e. g. si fæmina divitem se mentiendò juvenem ad nuptias contrahendas inducat & persvadeat, ex *Didac. Couarrub. de Matrim. probat M. Dn. Ziegl. ad Lancell. lib. 2. tit. 12. §. 3. p. 428.* Quamvis eum, qui se ita divitem jactitavit, & hac ratione alterum phaleratis verbis induxit ad

nu-

nuptias, à magistratu ob dolum commissum coërcendum esse, & ab eo qui deceptum se queritur conveniri posse, & ad id quod interest teneri existimat *Cypræus cap. 13. §. 35.*

XIV. Aliud tamen est, si quis hac conditione matrimonium promiserit, si puella in dotem attulerit 1000. aureos. Ibi enim ante impletam conditionem matrimonium non subsistere, rectè dicimus. Idquæ propter expressum textum in *cap. 3. X. de Cond. Appos.* Ubi Pontifex Alexander III. dicit: Si quis juratus promiserit, se puellam ducturum sub eâ conditione si centum dedisset, perjurii eum reum non esse, si illam ante impletam conditionem ducere recuset. *Vid. Carpz. in Jurispr. Eccles. Lib. 2. tit. 2. def. 22.* Modo tamen caveat, ut opes, quas per conjugium acquirere potest, consequenter tantum spectet & secundario, non vero unice & primariò. Hoc enim si faciat, & in alium finem, quàm qui à Deo O. M. ei adpropriatus est, matrimonium contrahat, abutetur eodem, non sine conscientia læsione *Dn. Ziegl. de Offic. Jud. concl. 8. n. 8.*

XV. Peculiare est, quod habet Jus Statut: Hamburgense: Ibi enim ob errorem fortunæ conceditur sponsaliorum rescissio, modò fiat ante copulam carnalem & sacerdotalem. Verba ejus ita se habent: Wenn aber einer mit einer Jungfrauen oder Witwen sich ehelichen eingelassen / die er vermeinet reich zu seyn und daran Mangel erspüret: so kan in diesen Fall nach gehaltener Hochzeit die Trennung keine Statt haben / sondern er muß dieselbe / die er hat genommen behalten: Aber vor der Ehelichen Copulation und Beylager kann die Verlöbnuß getrennet werden. Cujus rationem reddit *Lauterbach Vol. Disp. Jurid. Disp. 5. ad Jus Stat. Hamb. tb. 73.* Respexisse hujus juris conditores maximè ad onera matrimonii, à marito magna sæpè cum molestia sustinenda *per l. 20. Cod. de Jur. Dot.* Proinde si in his erraverit sponsus, errorem illum ipsum consensum excludere præsumserunt: Sine hoc autem nec sponsalia subsistere certum.



XVI. Quid si ignobilitas alicujus personæ fuisset igno-  
ta? Neque illum audiendum esse putamus, qui nobilitatis ma-  
gis, quam personæ amore conjugium se inivisse dixerit, Nam  
& ipsa nobilitas bonum fortunæ est; Unde etiam apud Autores  
nascendi fors dicitur. Imò non est substantia personæ, sed  
accidens hærens in subjecto. Propter errorem verò circa bo-  
na fortunæ & accidentia, non vitiari matrimonium supra ex c.  
un. C. 30. qvæst. 1. diximus. *Harprecht. ad Rubric. Inst. de Nu-  
ptiis, n. 94. & 95.* Limitamus tamen nisi scilicet lege publica  
expressè prohibitum sit nobilis cum ignobili matrimonium  
uti olim in Saxoniâ, teste *Adamo Bremensi, lib. 1. c. 5.* & Dania  
*per Recess. Christiani cap. 36. seqq.* Aut per longævam consue-  
tudinem introductum sit; Aut dolosè aliquis dixerit se dignio-  
ris esse conditionis, vel altera pars sub istâ conditione si sci-  
licet nobilis sit promiserit matrimonium; Quibus certè casi-  
bus vitiari matrimonium & nos dicimus. *Vid. Arnif. de Ju-  
re Connubii cap. 3. sect. 5. n. 2. seqq.*

XVII. An matrimonium constabit, si quæ ignorans  
spurio, vel alii illegitimè nato, nupserit? Etiam hoc constat.  
Certum enim est, tantummodò propter Juris & facti infami-  
am, utpote si quis reo famosi criminis, furi, homicidæ, la-  
troni ignotè fidem conjugalem dederit, posse solvi matrimo-  
nium. *Cypr. cap. 13. §. 78.* Hæ enim personæ sunt infames, l.  
1. ff. *de his qui not. infam.* Non tamen etiam propter levis  
notæ maculam, quâ spurios esse aspersos post *Palæot. de Noth.  
& spur. c. 55.* omnes penè DD. confirmant. *Vid. Lauterb. in  
comp. Juris ad tit. de his qui not. infam.* Neque enim his illa  
macula citra factum & culpam suam propriam in hac matri-  
moniorum materiâ obesse debet. *Vid. Dn. Nicol. in tract. de  
Repud. & divort. p. 1. c. 2. p. 93. seqq.* Nisi modò vel lex publi-  
ca & longa consuetudo, vel dolus, aut adjecta conditio illis ob-  
stet, ut in §. precedente diximus.

XIIX.

XIIX. Aliud tamen dicendum erit de carnificibus, ex-  
coriatoribus equorum, & lictoribus. Etsi enim neque illi in-  
fames personæ sint; sunt tamen quodammodo famosæ, viles  
& inhonestæ, & ad minimum turpi maculâ laborant. *Carpz.*  
*Pr. Cr. p. 3. Quæst. 137. n. 57. Richt. p. 1. dec. 54. n. 6.* Unde pro-  
pter notabilem illam status mutationem ad petitionem conju-  
gis repudium concedendum erit *Vid. Dn. Nicol. all. Tract. c. 2.*  
*n. 152. seqq.*

XIX. An valet matrimonium, cum illâ contractum, cujus  
status fuit ignotus? e. g. quæ serva fuit, pro ingenua tamen  
habita; De jure Civili certum est, nullum esse hoc matrimo-  
nium, *per Novell. 22. cap. 10.* quia saltem cives Romani, quæ-  
les servi & ancillæ non erant, poterant contrahere matrimo-  
nium, *pr. Inst. de Nupt.* Verum hodie de Jure nostro ubi sub-  
lata est servitus, sanè ex eo, quod quis ancillam aliquam fu-  
isse nescivisset, excusare se à matrimonii consummatione haud  
potest, *Vid. Dn. Ziegl. ad Lancell. lib. 2. tit. 12. §. 3. p. 428.*

XX. Sed annon hoc casu hodiè dissolvendum matrimo-  
nium, si quæ nescia proprio homini, qui ex constitutione Ma-  
ximiliani servis comparantur, nupserit? Concedi potest de  
matrimonio initiato, sive sponsalibus, *Carpz. in Juris pr. Eccles.*  
*lib. 2. defin. 179. n. 10.* Non etiam de matrimonio jam consum-  
mato. *Sanchez. de matrim. tom. 2. lib. 7. Disp. 19. n. 9.* quia spon-  
salia facilius & pluribus ex causis per repudium, difficilius  
autem nuptiæ per divortium possunt dissolvi. *Mev. part. 5.*  
*Decis. 125. & part. 6. Decis. 225.*

XXI. Quid si mores cujusdam fuere ignoti? Sunt qui-  
dam ex DD. qui neque sponsaliorum dissolutionem hoc in  
casu permittunt, *Mev. part. 6. Decis. 226.* Tum quia cujus mo-  
res quisquam semel approbavit, eosdem postea improbare  
non possit, *l. 9. ff. de negot. gest.* Tum quod sibi quis imputare  
debeat, quod ita facile crediderit; non enim antea fidem da-

re, nisi de moribus ejus maximè certus, debuisset. *l. 1. §. 2. ff. de eo. per quem fact.* Rectius autem statuunt illi, qui concedunt repudium. Facile enim potest fieri, ut contrahentes mores, qui deindè elucent, ignorent, aliter de iis antea persuasi, à quibus tamen cum viderint, postea maximè abhorrent. Et convenit etiam in eo Theologorum & Jurisconsultorum sententia, neque LL. Divinis contraria, quod ex quâ conjunctione finis conjugii obtineri nequeat, ut in proposito casu, ea non modo non promovenda, sed potius dissolvenda sit. *Cap. 2. Extr. de spons. Vid. Cypraus cap. 13. §. 82.*

XXII. Quid juris est, si religio cujusdam fuerit ignota? Quoad sponsalia cum infidelibus, propriè sic dictis, Turcis nempe, vel Judæis; vel etiam de Sectis notabilioribus, ut Anabaptistis & aliis contracta, res expedita est, non teneri scilicet partem orthodoxam, si cum eisdem ignotè contraxerit, nuptias consummare. Idque propter expressam prohibitionem juris divini *Exod. 34. vtrf. 16. Deuter. 7. v. 3. Jos. 23. v. 12. Civilis, l. 6. C. de Jud. & Coelic. & Canonici, cap. 15. & 16. Caus. 28. quest. 1.* secundum quam omne id, quod contra illam factum, ob seductionis potissimum periculum, omninò dirimendum est. *Vid. Gerbard. in loc. de Conjug. §. 387. seqq. Scherz. in System. Theol. loc. 27. §. 11. Cypr. c. 13. §. 77. n. 8. Bechstad. de Condit. Spons. p. 1. c. 10. n. 6. seqq.*

XXIII De hæreticis autem qui aliquâ saltem religionis parte à Christianis dissident, non concordant inter se DD. An sponsalia scilicet propter ignorantiam hoc in casu dissolvi debeant. Carpzovius propter Pacificationem religiosam de Ao. 1555. Et Osnabrugensem ac Monasteriensem de Ao. 1648. in quibus Catholicam, Lutheranam & Calvinianam religionem in Imperio nostro Romano - Germanico tolerandas esse constitutum est, negativam defendit, & cautionem requirit ab alterâ parte, ut liberi procreati in verâ Religione educantur. *Carpz. Jurispr. Con-*  
*sist.*

*ff. lib. 2. tit. 4. Def. 6. 7.* Alii verò Jcti affirmativam sententiam, tanquàm æquiorē & conscientiaē tutiorem sequuntur, ac opinionem suam probant per *l. 16. C. de Episc. Aud. & l. 5. C. de spons.* verbis: conjugium propter religionis vel sectæ diversitatem recusaverit, *Vid. Gothofr. ad dict. l. 16. C. de Episc. Aud. & l. 5. C. de Spons. Bechst. de Condit. spons. p. 1. c. 10. n. 12. Wesenbec. in parat. ff. de spons. n. ultim.* Et novissime Dn. Nicol. in *tract. de Repud. & divort. p. 1. c. 2. n. 77.* qui & in Supremo Confistorio in causa Marien / Peter Euchlers Tochter Klägerin eiusnes / George Demuths beflagten anders theils d. 19. Octobr. 1660. ita pronunciatum fuisse refert.

XXIV. In matrimonio autem jam consummato locum non habet divortium, quamvis ignota ab initio fuerit Religionis diversitas. Adest enim generalis divina prohibitio, *Matth. 19. v. 6. Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Nec unquàm JEHOVAH dissolvere præcepit ejusmodi fidelium cum infidelibus conjugia. Accedit ipsius Apostoli Pauli sententia *1. Corinth. 7. v. 12.* Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit cohabitare cum illa, ne dimittat illam; Et si qua mulier &c. Sanctificatus est enim maritus incredulus per uxorem, & sanctificata est uxor incredula per maritum, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sanctificati. *Vid. Arnis: de jur. Connub. cap. 5. sect. 5. n. 40.* Hoc etiam LL. probant. Nam sæpè quæ fieri non debent, si tamen facta fuerint, non rescinduntur, *l. 1. §. 5. quando appell. sit &c. l. 1. §. 1. ff. de feriis, l. 85. §. 1. ff. de regulis Jur.* Et multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ jam contractum non dissolvunt, *arg. l. 8. ff. de his qui sui, vel alieni jur.* Estque conjugium ratum, licet non sit legitimum, *cap. 6. Extr. de Raptor.* *Vid. Carpz. lib. 2. in Jurispr. Consist. tit. 1. Definit. 7. n. 3.*

XXV. Concedunt tamen nostri DD. diversarum religionum conjugatis propter dissidiorum & odii metum separationem



tionem quoad thorum & mensam, ex sententiâ Pauli 1. ad Co-  
rintb. 7. v. 11. & Gregorii IX. in cap. ult. Extr. de convers. con-  
jug. Vid. Gotbofr. in not. ad l. 6. C. de Judais & Coëlic. Quam-  
vis hic diversum statuunt, & totalem nexus matrimonialis dis-  
solutionem urgeant DD. Pontificii inter quos præcipui Do-  
minicus de Soto, Gratianus, Panormitanus, Covarruvias, &  
alii; quos omnes tamen ex professo refutat *Arniseus de J. Con-  
nub. cap. 6. sect. 5.*

XXVI. Quid statuendum, si quæ vitiata fuit, aut impræ-  
gnata, ignorante hoc alterâ parte? Multum hic inter se di-  
screpant DD. Negant præcipue Canonistæ, *Hostiensis de ma-  
trim. n. 26. Covarruv. in epit. caus. matrim. part. 2. cap. 3. §. 7.*  
quos etiam sequitur *Wesenbecius in Paratit. ff. de Rit. Nuptiar.  
n. 8.* hoc in casu dissolvendum esse matrimonium. Idq; po-  
tissimum propter *c. un. caus. 29. quest. 1.* ubi expressè Pontifex:  
qui ducit in uxorem, inquit, meretricem vel corruptam, quam  
putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere &  
aliam ducere. Deinde sibi imputare debere, dicunt sponsum,  
quod non melius ac diligentius in conditionem mulieris, cum  
quâ individuum vitæ consuetudinem initurus erat, inquisive-  
rit; siquidem cuilibet, qui cum alio contrahit, incumbit, di-  
ligenter inquirere in conditionem ejus, cum quo contrahit.  
*l. 19. ff. de R. J.* Et si hoc non fecerit, & damnum postea ali-  
quod ex contractu sentiat, illud ne quidem sentire videatur,  
propterea quod suâ culpâ sentiat. *l. 203. ff. d. R. J. Vid. Carpz.  
in prax. Crim. p. 2. quest. 63. n. 58.*

XXVII. Sed quicquid hujus sit, posse tamen in hoc ca-  
su rectè dissolvi non solum sponsalia, sed & ipsum matrimo-  
nium, ex autoritate nostrorum Theologorum & Jcto-  
rum statuimus. *Vid. Luth. tom. 5. Jen. Germ. fol. 250. Ger-  
bard. loc. de Conjug. num. 109. Joach. à Beust. de Jur. Con-  
nub. part. 2. cap. 34. Reusn. lib. 4. Dec. 5. Carpz. Jurpr. Eccl.  
lib. 2.*



lib. 2. Def. 193. Dn. Ziegl. ad Lancell. lib. 2. tit. 12. §. 1. in fin. Ubi priores hoc etiam juri divino convenire ex *Deuter. 22. v. 20. & 21.* asserunt. Posteriores etiam in Jure civili fundatum esse per *l. 7. §. 7. ff. de pact. l. 7. ff. de Dol. mal. l. 11. §. 5. ff. de act. Empt. Vend. Novell. Leonis 93.* Et quod contractus dolo malo initi, non subsistant, neque ab invitâ parte deceptâ custodiendos esse, probant, *Vid. Carpz. p. 4. Const. 20. Def. 12.* Neque hic distingvendum esse, utrum ante vel post sponsalia celebrata, vel an vi an voluntariè stuprum passa sit sponsa; Sed semper ad petitionem læsæ conjugis hisce casibus repudium & divortium concedendum esse, tradit *Beust. part. 1. de spons. cap. 10. circa fin. Brouwer. de Jur. Connub. lib. 1. c. 25. n. 20.*

XXVIII. Cautè tamen omninò hic procedendum est, & ante omnia summo studio reconciliatio inter conjuges tentanda, quæ si obtineri nequit, tùm demum solutio potest permitti. Et tunc necesse est, ut sponsus vel maritus juramento purgatorio probet, se omninò hoc ignorasse *Carpz. Jurispr. Eccl. lib. 2. defn. 198.*

XXIX. An idem obtineat in sponso, & an eum ante sponsalia fornicantem, quod ignoravit sponsa, possit repudiare, iterum controvertunt DD. *Vid. Carpz. Jurispr. Consist. Defn. 188.* Æquior tamen est affirmantium sententia, quæ sustinetur tùm per *l. 5. C. de spons. c. 2. caus. 32. qvæst. 6.* tùm etiam per naturam correlatorum, secundû quam fas est, ut qui intactam sponsam qværit, ipse sit intactus, & qui puram expetit, ipse sit purus. Et ita etiam in Supremo Consistorio sæpius pronunciatum fuisse, meminit *Dn. Nicol. alleg. tractat. p. 1. c. 2. p. 67.*

XXX. Minimè autem id procedit in Marito, qui ante matrimonium fornicatus fuerit, quod demum postea rescivit uxor; quippe ab imprægnatione uxoris, ob quam dissolvitur matrimonium, ad stuprum mariti non rectè concluditur.

D

Lon-



Longè enim destabilior fædiorqve est impudicitia mulieris, *arg. l. 1. C. de Mul. quæ serv. propr. jung.* Et major castitas in fœminâ, quâ in masculo requiritur, *Glossa in l. 13. §. 12. ff. de R. N.* Nec per fornicationem mariti tanta uxori infertur injuria, ac marito, & toti familiæ per insitionem stirpis adulterinæ, *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. Carpz. p. 1. C. 20. definit. 13.*

XXXI. Quid si quis ignorans talem in matrimonium elegerit, quæ inhabilis est, & quam deflorare non potest? aut si fœmina inscia nupserit ei, qui pater fieri nequit? matrimonium eo casu ob nullitatem, quæ initio subfuit, dissolvendum esse ex *l. 10. C. de Repud. §. Nov. 117. cap. 12. it. cap. 6. §. 7. Extr. de Frigid. §. Malefic.* respondemus. Quod & apud nos hodie fieri, & ita sæpius responsum fuisse docet *Dedeken. Vol. 3. Consil. Theol. Lib. 4. sect. 6. n. 5. §. 8. Carpz. Jurpr. Eccles. Defin. 201.* Modo de frigiditate & impotentiâ conjugum liquidò constet, & illam perpetuam & incurabilem esse, certum sit, *Sanchez. de Matrim. Lib. 7. Disp. 107. seqq.*

XXXII. Ad jus ignotorum matrimoniale hic referenda est quæstio, si propter absentiam una pars ignota sit, an & quo tempore altera pars aliud contrahere possit matrimonium? Hic distingvimus cum DD. inter absentiam justam, necessariam & aliam quamcunqve, quæ legitimam causam habet; Et inter absentiam non necessariam, sed malitiosam & voluntariam, quæ saltem ad ludificandam & deserendam alteram partem instituta est. Priori casu, ubi propter necessitatem vel aliud legitimum impedimentum absit sponsus, e. g. mercator, qui in distantem aliquam regionem, velut in Indiam Orientalem, mercaturæ exercendæ gratia, profectus fuerit, undè intra aliquot annos haud redire possit; Vel ubi quis ab hostibus captivus deducatur, vel morbo detineatur, vel alio quocunqve modo impediatur, ut intra breve temporis spatium domum redire, & nuptias consummare nequeat: Tunc certè

certè sponsa, non solum per annum, vel biennium, sed etiam triennium, imò ulterius pro arbitrio scilicet Judicis expectare tenetur, neque ipsi, ut alii nubat, concedendum est, nisi omni impedimento sublato certum sit, quod non rediturus sit vel de ejus morte certissimus nuncius allatus sit, propter expressum textum in *l. 17. ff. de Sponsal. Vid. Sanchez, Lib. 1. Disp. 54. Cypræus c. 13. § 70.*

XXXIII. Altero casu, si scilicet una pars inscia altera saltem ex voluntariâ & probabili, non verò necessariâ causâ hinc inde vegetur, nec tamen de animo ejus malitioso apertè constet, potest Judex pro arbitrio, quamdiu absens expectandus sit, statuere, & alteri parti vel intra annum, vel biennium *l. 2. C. de Spons.* pro ratione circumstantiarum matrimonium cum alio permittere. *Schneid. ad tit. Inst. de Nupt. Beust. de Jure Conub. p. 1. de spons. cap. 60.* qui in hoc casu sponsam ultra annum non teneri expectare sponsum, scribit; *Cypr. cap. 13. n. 70. seqq.*

XXXIV. Sed si ex causâ merè malitiosâ deserat una pars alteram, & non constet, ubi vivat, vel an adhuc superstes sit, & utrum animum revertendi, & nuptias consummandi habeat, non æquè concordant jura nostra, & quandoq; biennium, ut in *l. 2. C. de Spons.* mox triennium, ut in *l. 2. C. de Repud.* imò quadriennium in *l. 7. Cod. eod.* præficiunt, *Vid. Carpz. Jurispr. Escl. lib. 3. tit. 5. def. 60* Unde apud nos hodiè tempus expectationis arbitrarium est, & Judex, prout circumstantiæ postulant, illud vel augere, vel minuere potest. Id quod etiam in Protosynedrio Ecclesiastico, quod Dresdæ est, ita observari, & nonnunquam biennium, quandoque triennium circa absentiam sponsi requiri, novissimè tradit *Dn. Nicolai Tr. de Repud. & Div. p. 1. cap. 3. n. 16. Vid. Mæv. p. 4. Decis. 7.*

XXXV. Anne idem obtinet inter conjuges? Etiam in hoc casu inter easdem absentiae causas, quas supra nominavi-



mus, distingvendum n est ; Ubi tamen, propterea quod matrimonium per copulam sacerdotalem & carnalem jam consummatum sit, longius temporis spatium & accuratior causæ cognitio requiritur. Antea quidem, marito in militiam profecto, matrimonium bonâ gratiâ dirimi poterat per *l. 61. & 62. ff. de Don. inter Vir. & Uxor.* Postea verò mutatum est, & quandoque quadriennium, ut in *l. 7. C. de Repud.* vel etiam quinquennium in *l. 6. ff. de Divort.* aut septennium, *cap. 19. Ext. de spons.* & quandoque etiam decennium expectare tenetur conjux. *Novell. 22. cap. 14. it. cap. 8. Ext. qui fil. sunt legit :* Imò in *Novell. 117. cap. 2.* tamdiu expectare injungitur uxori, quoad de morte mariti fuerit certiorata. Quod & confirmat Jus Canonicum, *Vid. cap. 2. Ext. de sec. Nupt.* Sed hoc saltèm ad legitimam & necessariam militiam, non verò ad erroneas nostri temporis pertinere, notat *Wesenbec. in parat. ff. b. t. n. 3.* Ideò in nostris Consistoriis post quinquennium vel etiam breviori tempore desertæ conjugii, præviis peremptoriis citationibus, concedi solet renubendi facultas *Brunneman. ad l. 7. C. de Repud. Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. tit. 11. Desin. 192.*

XXXVI. Liberi pars familiæ sunt ; De quibus hic circa matrimoniorum materiam, quæritur, si propter absentiam pater ignotus sit, an validè sponsalia contrahere possint ? Et hic cum Jcto Paulo in *l. 10. ff. de Rit. Nupt.* triennium expectandum esse, dicimus. Quod si hoc effluxerit, & apertissimè pater fuerit ignotus, ubi degat & an superstes sit, non prohibentur liberi ejus, utriusque sexus, matrimonium vel nuptias legitimas contrahere. Quod & Julianus in *l. 11. seq. ff. eod. de Matrim. filii & filia* probat, qui ante triennium absentia & captivitatis patris matrimonium contraxerint, dummodo filius eam ducat uxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum sit patrem non repudiaturum, *Vid. Gail. l. 2. Observ. 95. n. 10.*

XXXVII.

XXXVII. Coeterum habemus in Jure nostro liberos, tum quorum pater tantum, tum etiam quorum pater & mater simul ignorantur; De quibus quid jura circa eos disposuerint, non male hic inserimus. Quod illos attinet, quorum pater tantum ignotus est, hi nothi & spurii appellantur, quasi sine patre liberi. Non quod plane nullum patrem habeant, sed quoniam vulgivaga venere natis pater incertus sit, *l. 63. ff. de stat. hom. l. 5. ff. de in jus voc. l. 2. l. 4. l. 8. ff. unde Cogn. Vid. Vinn. ad §. 12. Instit. de Nupt.* Hos alere tenetur mater, propterea quod pater eorum, cui regulariter hoc incumbit, ignotus sit, *Specul. in tit. qui filii sunt legitimi §. 1. n. 17.* Et eidem etiam cum legitimis liberis aequaliter succedunt, *l. 5. in fin. C. ad SCtum. Orfit.* Nec illis obstat, quod macula quadam laborent, *Palaot. de Noth. & spur. e. 55.* Charitas enim & affectio sanguinis differentiam inter legitimos liberos & naturales non admittit. *§. Si quis ergo in Auth. quib. mod. nat. effic. legit.* sed horum, ratione successionis, par est conditio. *Palaot. c. l. c. 18. n. 3.* Hinc si a matre in testamento praeteriti fuerint, querelam instituere possunt adversus inofficiosum matris testamentum. *l. 29. §. 1. ff. de inoff. test.* Nisi modo mater sit illustris, tunc enim justis liberis existentibus eidem cum illis non succedunt, quippe quod illustribus matribus nominari spurios injuriosum sit, *l. 5. C. ad SCtum. Orfit.*

XXXVIII. Quorum pater & mater simul ignorantur, liberi exposititii nominatur; Horum alimentatio & educatio ad Magistratum spectat, & in specie ad eum, qui Jurisdictionem superiorem habet; nec ad communitatem ejus loci, in quo reperti sunt infantes. *Carpz. Pr. Crim. p. 1. quest. 10. n. 26.* Etsi enim causa curationis & educationis horum infantum per se criminalis non sit, a crimine tamen expositionis oritur, quod Judex superior regulariter solet punire juxta Ord. Provinc. Elect. Sax. Was zu Ober/ Nieder und Erbgerichten gehöret. *Id. ibid. n. 27. Et in Jurispr. Consist. l. 2. def. 244.*

XXXIX. Pervenimus nunc ad alterum, quod ex jure personarum circa familiam ad Ignotos pertinet, nimirum Jus Tutelare. Ubi ignotum posse Tutorem dari in testamento certum est; testante hoc expressè Justiniano in §. 10. *Inst. de Excus. Tut. vel Curat.* & Jcto Modestino in l. 15. §. 14. *ff. de Excusat.* Non esse scilicet admittendam excusationem ejus, qui hoc solo utitur, quod ignotus patri pupillorum fuerit.

XL. Non obstat l. 36. *ff. de Excus.* in qua Paulus dicit: Non nisi amicissimos & fidelissimos tutores parentes liberis suis eligere solere; Unde argumentari possis, illum, qui se ignotum esse patri dixerit, nec ejus amicissimum dici, nec proinde quoque tutorem pupillorum esse posse. Quod enim ignotus tutor esse possit, hoc propterea fit, quia amicitia non tam in notitiâ vultus nitatur quam in notitiâ ingenii *Arg. l. 320. §. 1. ff. de Verb. Sign.* Sufficit ergo quoad mores & famam notum esse illum, quem Pater liberis suis tutorem constituit, licet ei de persona & facie fuerit ignotus. Et sæpè etiam latens & tacitus erga ignotos potest esse instinctus, non modo propter sanguinis necessitudinem, sed etiam propter eruditionis aut virtutis celebritatem. Neque tam magna notitia vultus & personæ requiritur in tutore, quam fides potius & industria; Licet itaque aliquis de facie sit ignotus, potest tamen notus esse de famâ, vel alia aliqua fortassis virtute cognitus; & sic rectè tutor esse. Vid. *Manzius in Not. ad §. 50. Instit. de Excus. Tut. vel Cur.*

XLI. Sed quaeritur, annon ejusmodi ignotus, à patre in testamento datus, tutor ad satisfactionem compelli debeat? De Jure Civili negamus, propterea quod inter talem tutorem, qui patri de facie ignotus, & inter alium testamentarium tutorem, qui notus fuerit, nulla constituenda sit differentia. Scimus autem ex l. 17. *ff. de Test. Tut.* hunc à satisfactione esse immunem, unde nec illum ad hanc cogi posse concludimus. Censetur enim pater utriusque fidem & diligentiam appro-  
bas-

basse; quippe qui non male liberis suis prospecturus præsumitur. *L. 3. §. 1. ff. de Administr. & peric. tut. l. 36. ff. de Excus. Et ejus testimonium pro satisfactione sufficit, l. 27. C. de Episc. Audent. l. 7. C. de Curat. furios.*

XLII. Nisi saltem post testamentum factum mores tutoris in pejus fuerint mutati, aut alia aliqua hæcenus celata, vel ignorata emerferit improbitas *l. 8. ff. de Confirm. Tut.* Eo enim casu & Jure Civili à Magistratu cogendus est ad satisfactionem testamentarius ignotus tutor. Quippe emergentia hæc, quæ inopinato accidunt, novo consilio egent & remedio. Hinc investigandum erit, an voluntas patris duraverit, aut verè similiter durasse videri possit *l. 8. ff. de confirm. Tut.* Nam patris voluntatem Prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ ipse Prætor de tutore comperta habet. Unde si mala sunt, mentem potius, quam verba patris *l. 3. §. 9. ff. de Adim. vel transferend. legat. l. 3. C. de libr. præter:* Imò utilitatem pupillorum, quam scripturam testamenti vel codicillorum, sequi debet, *l. 10. ff. de Confirm. Tut. vid. Gothofred. in Not. ibid.*

XLIII. Sed de Jure novissimo cum per Reformat. Polit. de anno 1548. Rubr. Von den Pupillen etc. & de Ao. 1577. Tit. 32. etiam testamentarii tutores idoneam cautionem hodiè præstare debeant; Ejusmodi quoque, in testamento datus ignotus tutor, à satisfactione immunis esse vix potest. *Vid. Berlich. p. n. decis. 131. n. 6. Brunem. ad l. 17. ff. de Test. Tutel.*

#### CAPUT IV.

##### *De Ignotis circa Res.*

I. Expositis notabilioribus, quæ ad jura Ignotorum circa personas potissimum spectare videbantur jam quid circa Res de Ignotis, dici possit, videbimus. Ubi ante omnia, ut confusionem evitemus, totum negotium ad duo capita refer-

fer-

ferre volumus; Priori loco collocantes id, quod inter vivos, posteriori verò, quod in ultimis voluntatibus contingere solet.

II. Quod primum attinet, dubium non est, quin ignoti sibi possint acquirere, in primis cum ad acquisitiones rerum, sive illæ sint juris gentium, sive juris civilis, non exacta requiratur personarum notitia, sed quilibet, sive notus sit sive ignotus, sibi possit acquirere.

III. Primus acquirendi modus jur. gent. est occupatio; Hoc modo valet ignoto occupatio rerum quæ nullius sunt, & cujus dominus ignoratur. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti, quamvis ignoto, conceditur §. 12. *Inst. de R. D.* Sic in venatione, aucupio & piscatione, item quod in bello ab hoste capitur, rectè ignotus occupare potest, §. 12. & 17. *Inst. de R. D.* Item quæ in littore maris inveniuntur, ut lapilli & gemmæ: Hæ enim jure naturali statim Inventoris, quamvis ignoti, fiunt, §. 18. *Inst. eod.*

IV. Alius acquirendi modus Juris Gentium est traditio: per hanc æquè sibi ignotus potest acquirere ac notus quilibet. Non enim semper ad traditionem rerum partium præsentia multò minus exacta notitia requiritur, sed sufficit si de voluntate constet ejus, qui rem tradere, & de consensu ejus quoque, qui eandem acquirere vult *l. 55. ff. de Obligat. & Act. Pufendorff. de J. N. & Gent. l. 4. c. 4. §. 2.* Et si in incertam personam quandoque collata voluntas domini transfert rei proprietatem per §. 46. *Inst. de R. D.* & *l. 9. §. 7. ff. de acquir. R. Dom.* Quantò magis in ignotam, sive nunquam antea visam.

V. Hinc valet in ignoto acquisitio rerum pro derelicto habitarum, & poterit eas jure gentium animo sibi habendi occupare, §. 47. *Inst. de Rer. Div.* Etsi ignoret à quo derelicta *L. 4. ff. pro Derel.* quippe derelictio & abjectio rei, eo animo facta, ne res ulterius sit in numero rerum nostrarum, vim habet tacitæ cujusdam donationis, *l. 1. & 5. §. 1. ff. pro Derel.*

Nec



Nec ille, qui rem abjicit, aut deserit, ad personam respicit, cui illa iterum acquiratur, sed eam cuique relinquit, noto pariter & ignoto. *d. l. 5. §. 1.*

VI. Neque aliter se res habet in sparsione missilium, quam mos erat apud Romanos usitatissimus, secundum *Svetonium in vitâ Augusti. c. 98. Neronis c. 11. Caligulae, c. 18.* Etsi enim Prætores & Consules, qui plerumque missilia jactabant in vulgus, ignorant, quis & quantum quis ex eo sit excepturus, §. 45. *Inst. de R. D.* Attamen quia volunt, quod quisque, sive notus sit, sive ignotus, acceperit, ejus esse, statim eum dominum efficiunt. Hæc enim personæ accipientis vel occupantis incertitudo, atque ignorantia, effectum transferendi domini non impedit, cum voluntas domini hæc ipsa sit, ut accipiens & occupans persona, ut ut tempore traditionis ignota sit, sibi habeat rem, cujus possessionem & dominium à se abdicavit. Æquitati autem naturali etiam convenit, eandem ratam haberi, §. 41. *Inst. de R. D.*

VII. Eodem modo in acquisitione rerum Juris Civilis poterit sibi ignotus acquirere per donationem, *l. 29. C. de Donat.* Est enim liberæ voluntatis cui quis rem aliquam donare velit, *l. 1. §. 29. pr. ff. Eod. l. 67. §. 1. ff. de Legat. 2.* Neque distinguendum, an aliquis de facie tantum fuerit ignotus, an quoad mores. Nam si penitus ignotus hæres institui potest, *per l. 11. C. de her. Inst.* quidni & donari eidem possit. Sufficit enim certum esse, cui quid donatur. *Brunem. ad l. 29. C. de Donat.* Nec præcisè in donatione necessarium, ut à præsentem, & sic de facie noto acceptetur, sed sufficit si vivo adhuc donatore rata & grata habeantur ab ignoto. *arg. l. 24. ff. de neg. gest.* Quin imò, cum per interpositam personam recte absentibus, & sic etiam ignotis, donari possit; *l. 4. §. 10. ff. de Donat.* Et donator etiam per epistolam, vel nuncium, donatarium de liberali suâ voluntate certiore facere possit, *l. 4. §. 5. ff. de Donat.*

E

l. 6.



*l. 6. C. eod.* Sufficit si Notario, vel alii quoque fiat traditio, isq; ,  
absentis & ignoti loco, ex mandato acceptet; Imò & interdum  
absqve mandato, si modo donatarius, vivente adhuc donatore,  
postmodum gratum habuerit donatum. *d. l. 24. ff. de Negot.  
gest.* Et tacitè etiam acceptata creditur donatio, si acqvieverit  
ei ignotus donatarius, *arg. l. 16. ff. ad SCtum Maced.* cum ne-  
mo liberalitatem respuere præsumatur, *Carpz. P. 2. C. 12. Def.  
20. & 21.*

VIII. Non solum autem acquirere sibi ignotus potest,  
sed possunt etiam acquiri res ignotorum h. e. res, intellectu  
juris hero carentes, quas Græci *adèromra* dicunt. *Vid. Grot. de  
J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 6.* Idque interdum vel Juris concessio-  
ne; quò modò occupare possumus apes in arboribus hæren-  
tes, quarum dominus ignoratur; Fera enim earum natura est,  
& cum alvearia sua relinquunt, & conjunctim avolant, nullius  
esse censentur, & sic omni jure fiunt occupantium, nec re-  
spectu earum furtum fieri potest, *arg. l. 5. §. 5. ff. de Acq. rer.  
dom. Vid. §. 14. Inst. de R. D.* Vel etiam voluntate ignoti. Suf-  
ficit enim & hic voluntatem adesse illius, qui dominium trans-  
ferre vult, & illius qui acquirere, *l. 55. ff. de O. & A.* modò de  
voluntate constet ignoti, quæ adest vel expressè, utpote si per  
Procuratorem, nuncium aut epistolam declaretur, *§. 42. Inst.  
de R. D.* vel tacitè, *l. 4. ff. pro Derel.* modò sciamus, quod pro  
derelicto sint habitæ, *l. 2. pr. ff. Eod.*

IX. Hic quæritur an quis occupare possit agrum deser-  
tum tributarium, cujus dominus ignotus est; Quod affirma-  
re non dubitamus, tum ob favorem agriculturæ, tum ob tri-  
buta fisco debita: Reipublicæ enim interest rerum dominia  
non esse in incerto, *l. 1. ff. de Usucap.* Non obstat *l. fin. Cod.  
Unde Vi: Omnes scire debent:* quippe dicta lex loquitur de præ-  
dio non tributario, & sic cessat favor fisci, cujus maximè in-  
terest prædium tale coli, *Brunem. ad l. 8. C. de Om. agr. desert.*  
Dein-

Deinde etiam d. l. dicit: *Si quis alienam rem adversus domini voluntatem contrectaverit*: Quæ verba ad hunc casum applicari non possunt. Etsi enim expressa domini voluntas, scilicet quod hoc concedat, non adsit, adest tamen tacita, sive præsumpta. Datur enim ei biennium, intra quod rem, restitutis expensis meliorationis, recuperare potest. *l. 8. c. d. t.* Quod dum non facit, sibi & suæ negligentia imputet, & sic damnum, quod suâ culpâ sentit, non sentire videtur, *l. 203. ff. de R. J.* Per biennii enim cessationem animum derelinquendi rem tributariam præsumunt DD. *Brunem. ad l. 8. c. d. t.* Sufficit autem dominis ad inquirendas res suas statui temporis spatium, *l. 1. ff. de Usucap.* Et quamvis *Ripa de peste, Tit. de Remed. contra Pest. n. 252. seqq.* hoc in casu malâ fide præscriptionem procedere putet; Rectius tamen id ei negatur. Nam uti alias jussus Judicis excusat à dolo; Ita etiam, qui non tantum permittente, sed etiam jubente Imperatore per LL. agrum desertum occupat, ne utique in malâ, sed potius in bonâ fide esse, existimandus est. *Brunem. ad all. l. 8. in fin.*

X. Ubi autem de præsumptâ ignoti voluntate, nulla extant indicia, non poterit quis occupare res ignotorum. Unde nemo acquirere sibi potest res ignotorum naufragio amissas, quippe quæ nostra esse desinunt, non statim, sed ubi recipi non possunt, *l. 44. ff. de A. R. D. Vid. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 5. Et Dn. Ziegl. in not. ibid. add. l. 1. c. de Naufrag.* Neque etiam res ignotorum, quæ in tempestate, levandæ navis causâ, ejiciuntur. Hæ enim dominorum permanent, quia palâ est, eas non eò animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quò magis cum ipsâ navi, maris periculum effugiat, & propterea inventori non acquiruntur, *per §. 40. & 47. Inst. de R. D. l. 8. ff. ad L. Rhod. de Factu, l. 3. pr. l. 7. ff. de Incend. Ruin. naufrag.* Neque etiam res ignotorum fortuitò amissas. Non enim domini sine facto, i. e. voluntate nostrâ ad ad alium tran-



fire potest, l. 11. ff. de R. J. aut sine aliâ probabili causâ. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 7. n. 1. Nam non etiam sicut thesaurus, l. unic. C. de Thes. res inventa Dei beneficium est atque donum, juxta Hieronimum in c. multi 8. caus. 14. qv. 5.

XI. Licebit autem ejusmodi res inventas tollere animo restituendi domino, non ad effectum dominii ejusdem acquisitionis, sed restitutionis, & ut salvam faciat rem amissam domino, ut loquitur Jctus in l. 13. §. 11. ff. de Furt.

XII. Hinc si ignoraverit dominum, cui restituat, publicè illum inquirere debebit, id quod fit, si vel libellum in locis publicis affigat, in quo referat, rem esse inventam & reddendam ei, qui desideraverit, & justiore titulo ostenso, suam esse probaverit, l. 43. §. 8. ff. de Furt. Vel etiam si ex suggestu, aut alio loco publico id ipsum per præconem notum faciat & proclamet, Schneidev. ad §. fin. Inst. de R. D. Harprecht. ad §. eundem, Vinnius ibid.

XIII. Hoc si facere negligat, furti vitium incurrit, d. l. 43. §. 11. & Can. 6. Caus. 14. qv. 5. & hinc rem neque ipse inventor, nec alius, licet bonæ fidei possessor, usucapere potest, quamdiu scilicet in veri domini non fuerit reversa potestatem, arg. §. 2. & 5. Inst. de Usucap.

XIV. Si verò publicâ hac factâ inquisitione, nondum appareat Dominus, qui rem amissam repetat, ex præsumptâ amittentis voluntate pauperibus res erit distribuenda, arg. c. 4. Caus. 14. Quest. 5. Authent. Omnes peregrini verb. ad pias causas, C. commun. de success. Aut, quod alii conformius juri putant, inventori erit relinquenda, ut illam, tanquam rem pro derelicto habitam, usucapere possit. Vid. Froman. Disp. de fort. rer. amiss. tb. 4. in fin.

XV. Jure Saxonico, si post institutam inquisitionem, intra spatium sex septimanarum, verus dominus non apparet, & rem suam esse probet, elapso hoc tempore, duæ partes fisco, ter-  
tia

tia inventori solet adjudicari. *Art. 37. lib. 2. Landrecht Vid. Carpz. Pr. Crim. Pars. 2. qv. 86. n. 6.*

XVI. Ad res ignotorum thesaurus pertinet, h. e. pecunia quæ condita est ab ignotis Dominis, quippe qui non antè acquiritur, quàm si verus dominus ignotus sit, *l. Unic. C. de thesaur.* Alioquin si quis aliquid vel lucri, vel metus, vel custodiae causa sub terrâ condidit, thesaurus non est, *l. 31. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* nec etiam quod quis perdit, aut per errorem è suo fundo non abstulit, *l. 67. in fin. ff. de Rei vind.*

XVII. Et quamvis thesaurus adhuc in dominio deponentis hæredum esse dicatur *arg. l. 37. ff. de acquir. her.* per longam licet, vetustamque annorum seriem eidem succedentium *Vinnius ad §. 40. Inst. de A. R. D.* Quia tamen ob vetustatem memoria depositionis non extat, *l. 31. §. 1. ff. de R. D.* ita ut ignoretur, quis & quo tempore pecuniam hanc deposuerit, *l. Unic. C. de Thes.* & per consequens etiam hæredes ejus. Rectè dicitur rem talem dominum, scilicet intellectu juris, jam non habere. Unde etiam rectè potest acquiri, *Vid. From. Disp. de amis. rer. fort. thes. 10.*

XIIX. Ubi tamen in genere neutiqum sufficit thesaurum vidisse, sed insuper requiritur, ut inventor eum apprehendat & loco moveat, *l. 3. in fin. ff. de Acq. poss.*

XIX. Id quod etiam, perindè ac in jure Civili, observatur in foro Saxonico, nec thesaurus, qui in *Art. 35. lib. 1. Landrecht* / si profundius meatu aratri jacet, majestati Imperii defertur, ad fiscum pertinet, uti putârunt *Math. Coler. part. 1. Decis. 100. n. 2. Reinhard. part. 6. diss. 13.* Sed, prout hunc *Artic. 35.* ipse explicat Illustr. Elector Augustus in *Constit. 53. Part. 2.* hæc verba non ad thesauros absconditos, sed ad metalli fodinas, referenda sunt, *Vid. Carpz. ad dict. Constit. 53. Def. 4.*

XX. Ad actus qui inter vivos contingere solent, etiam contractus pertinent, ubi certum est, quod ignoti quoque



possint contrahere, ac cum ignotis contrahi; Cum nullibi ad contractum aliquem requiratur personarum notitia. Sic inter extraneos sæpè & penitus ignotos, contractus celebrari solent. Nec obstat, quod stipulatio non possit nisi inter præsentem, atque sic sibi invicem notos, contrahi, *l. 1. pr. ff. de V. O. & §. 11. J. de In. stipul.* quia non statim præsentia includit alicujus notitiam. Certè qui cum cæco contrahit, præsens est, non tamen ideò cæco notus. Atqui verò quis eapropter contractum cæci, in specie verò stipulationem ab ipso factam, subsistere negaret. *Vid. Dn. Stryck. de Jur. Sens. Diff. 2. cap. 3. n. 10.*

XXI. Cautè tamen procedendum illis qui cum ignotis contrahunt & ad minimum in conditionem, i. e. mores, ætatem, fortunam, atque sexum erit inquirendum, *l. 19. ff. de R. J. ibique Dn. Sande,* ne in præsens aliquod damnum inopinatò ruant *arg. l. fin. in fin. C. de Dot. prom.* Quod in nonnullis contractibus exemplis probabimus.

XXII. In contractibus realibus primus est contractus mutui. In hoc non omnimodè ignotos habere illos, cum quibus contrahimus, necesse est; Sunt enim personæ quædam, quæ vel ob consensus defectum, vel ob legis prohibitionem validè se obligare non possunt, e. g. filiusfamilias; Hic ex mutuo, si in pecuniâ numeratâ consistat, non obligatur, ob competentem ipsi exceptionem S<sup>C</sup>ti Macedoniani *t. t. ff. & C. de S<sup>C</sup>to Maced.* quæ adeò firma est, ut etiamsi sibi ignotum fuisse, alterum esse filiumfam. creditor dixerit, nihilominus tamen ipsi noceat, *l. 7. §. 7. ff. eod.* Sufficit enim, quod seire potuerit conditionem ejus, cui credebatur, *l. pen. ff. Eod.*

XXIII. Nisi quis non vanâ simplicitate deceptus, nec juris ignorantia, sed quia publicè paterfamilias plerisque videbatur, credidit filio familias, tunc enim cessabit S<sup>C</sup>tum *l. 3. §. 5. ff. Eod.* Sicut etiam, si filiusfamilias per mendacium, se sui juris esse, dicat, & hoc colore aliquo probabiliter affirmave-

mave-

maverit, e. g. si falsum emancipationis documentum habeat, si juravit se sui juris esse, & tunc ei quoque denegatur exceptio. *l. 1. C. Eod.* Dolus enim & mendacium eum hoc beneficio indignum reddunt: Nec decipientibus, sed deceptis succurrendum esse, *l. 2. §. 3. ff. ad Sctum Vellej.* & poenas suos tenere debere autores Jura volunt, *Castr. ad l. 1. C. b. t. Vid. Dn. de Jena de Scto Maced. sect. 5. aph. 2. Perez. ad Cod. tit. de Sct. Maced. n. 15.*

XXIV. In deposito iterum haud parum refert, non ignotum habere illum, cui res aliqua custodienda traditur. Nam cum dolum tantum præstet Depositarius, *l. 5. §. 2. ff. Commod. Culpæ* verò h. e. desidix atque negligentix nomine, non teneatur, *§. 3. Inst. quibus mod. re cont. obl.* nisi ad suum modum curam non adhibuerit in deposito, *l. 32. ff. Depos.* quod salvâ fide & absque suspicione fraudis facere non potest, *d. l. 32. Zoës. ad ff. tit. Depos. n. 18.* Utique interest, de diligenti sibi prospicere depositario, *l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* Inquirendum igitur sedulo erit illi, qui rem apud ignotum vult deponere, quali modo res suas custodire soleat ignotus. *Franzk. ad Tit. ff. Depos. n. 90. & 91.* Alias enim suæ facilitati imputare debet, si citra inquisitionem rem suam negligenti amico custodiendam dederit, *§. 3. Inst. quibus reb. re contr. obl.*

XXV. Stipulatio contractus verbalis est, quæ communiter in principalem dividitur & accessoriam. Quod principalem attinet, notandum est, quod unusquisque sibi prospicere debeat, ne cum ignoto, qui forsan ob imbecillitatem intellectus, aut alium defectum se obligare non potest, v. g. cum pupillo, minore, &c. Stipulationem, aut quod huic in effectu hodiè comparatur, pactum ineat. Alioquin si læsus fuerit, non poterit nisi de se queri, sibi que imputare, quod adeò in contrahendo facilis fuerit, *l. 19. ff. de R. I. Dn. Stryck. de Cautel. Contr. sect. 1. cap. 1.*

XXIV.



XXVI. Quantum ad accessoriam, quæ fidejussio alias appellatur, iterum cavendum, ne ignotus sit fidejussor, qui nobis datur, tum quoad personam, an jure fidejubere possit, v. g. an sit mulier, aut minor, *per. l. 48. pr. & §. 1. ff. de Fidej. & mand.* tum etiam circa bona & mores ejus. Cum enim creditor securitati sui crediti velit consulere, non utique statim communi de oblato fidejussore, opinioni credere, illumque accipere debet, sed inquirere potius an idoneus sit ille, qui offertur. Æstimatur autem fidejussoris idoneitas, tum ex conveniendi facilitate; tum ex facultatibus *l. 12. ff. qui satisd. cog. l. 3. ff. de Fidej.* Inidoneus autem, antequam acceptus sit, ideò quia ignotus fuit, repudiari potest. Paria enim sunt planè non, & non idoneè cavere, *l. 6. ff. qui satisd. cog.* Semel verò admissus, quia tanquam idoneus videtur comprobatus, *arg. l. 20. ff. Eod.* non potest repudiari, cum sibi imputare debeat creditor, quod ab initio ei non statim contradixerit, *l. 3. ff. de Fidej.*

XXVII. Paritèr Fidejussor etiam non ignotum habere debet illum, pro quo datur. Est enim fidejussio res oppido periculosa, & ille, qui pro alio fidem suam interponit, seipsum periculo exponit solutionis. Quod innuit tritum apud Germanos proverbium: *Bürgen soll man würgen. Gail. lib. 2. Obs. 29. n. 4.* Si enim pro inopibus & prodigis fidejusserit, à solutione se liberare vix potest, cum sibi imputare debeat, quod pro talibus fidem dederit, quos solvendo non esse, per inquisitionem facili negotio resciscere poterat. Paria enim censet Jurisprudencia nostra, scire & facilè scire posse, *l. penult. ff. ad SCtum Maced.* Nec succurrendum esse autumat ei, qui se necessitati ultrò exponit, *l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog.*

XXVIII. In contractibus consensualibus eadem pene res est: Sic in emtione venditione non ignotus debet esse emptori venditor, ac vice versà venditori emptor, & potissimum quidem ad hoc, ut resciscat conditionem ejus, cum quo contrahat.



trahat. Minores enim, furiosi, prodigi propterea quod omnis potestas se obligandi, ipsis, ob consensus defectum, ut diximus, adempta sit, nullam quoque validam contrahere possunt rerum suarum venditionem, *l. 11. ff. de reb. eor. qui sub Tut.*

XXIX. Hinc malè sibi prospiciunt, qui cū his, ut ignotis, sine curatorū autoritate contrahunt. Non solūm enim ipso Jure nulla est alienatio, & emptor non tantūm rem venditam restituere tenetur, sed & ipsius pretii, si consumptum sit, periculum incurrit. Nisi probare poterit utiliter in rem vendentis verum, ipsumque locupletiolem exinde factum esse *l. 206. ff. de R. J. l. 16. ff. de Min. 25. ann.* Quin imò restituuntur ipsi etiam interdum auxilio extraordinario adversus emptores & venditores in integrum, ut videmus in minore, qui nō solūm adversus eum qui emit, sed etiam adversus tertium, quamvis ignorantem, & licet cum eo non sit contractum, restituitur, *l. 13. §. 1. ff. de Min. 25. an.* Nisi modo jurato renunciaverit minor huic restitutionis beneficio *Covar. de pact. p. 3. §. 4. n. 3. & DD. passim in Auth. Sacr. Puber.* Et hæc renunciatio etiam sinè dolo adversarii facta fuerit *Carpz. p. 2. Constit. 11. Defin. 50. n. 3.*

XXX. Deinde etiam in emptione venditione propterea nō ignoti sibi invicē esse debent contrahentes, tum ut emptor possit regressum instituere adversus venditorem, si forsā res quod aliena fuerit evincatur *l. 1. C. de Evict.* Aut si rem servitutum & pensionum onere obligatam esse, reticuerit venditor *l. 66. pr. & §. 1. ff. de Contr. empt. l. 41. ff. de Act. Empt. Vend.* Tum etiam ut venditor precium & pecuniam rei venditæ ab emptore possit consequi, eumque hoc modo convenire *l. 13. §. 10. & 20. ff. de Act. Empt. vend.* Quod si hac in re sibi non prospexerint, non nisi de se queri debent, si decipiantur.

XXXI. Cæterum non facilè in emptione venditione ignotis præsumitur fides habita, propterea quod facti sit. *arg. l. 12. §. 2. ff. de Captiv. & Postlim. Revers.* Etiam si res vendita,

F

jam



jam tum illis tradita sit, arg. § 41. *Inst. de R. D. Gail. l. 2. Observ.*  
*l. n. 16. Mantic. de tacit. & ambig. convent. l. 4. tit. 21. in fin.*  
Nam si noto facta venditio, sub illâ conditione videtur facta,  
si pretium solutum, aur aliter eo nomine satisfactum, *l. 19. ff.*  
*de Contr. Emp.* quanto magis si ignoto, cui non æq; facile uti  
noto credere solemus. Nisi forsan ab alio ejusmodi ignotus  
fuerit commendatus. *Carpz. p. 2. Const. 18. Defin. 24. n. 7.*

XXXII. Hic oritur quæstio, an ex ignoti commen-  
datione aliquis teneatur? Ad quam respondemus, viden-  
dum esse an generalis fuerit commendatio, quâ scilicet  
probus aliquis & industrius laudatur, atque favori alterius com-  
mittitur; Wann einer eine blosser Intercession vor einem einleget;  
An verò specialis, quâ fides alicui impetratur, sive ad contra-  
hendum quis inducitur, alias non contracturus. Ex illâ non  
obligatur commendans *l. 12. §. 12. ff. Mand. l. 7. §. 10. ff. de Dol.*  
*Mal. Mornacius ad all. l. 12. §. 12. Brunem, ibidem n. 5. A.* commen-  
dantis enim intentione maximè alienum est, utpote qui ne-  
quaquam hoc agit, ut se obstringat, sed solum, ut commenda-  
to magis fides habeatur, & in alterius arbitrio est an com-  
mendationi fidem habere velit. Actus igitur agentium ul-  
tra intentionem illorum nihil operari debent, *l. 19. princip. de*  
*R. C.* Er licet interdum specialioribus verbis hæc commenda-  
tio fuerit colorata, v. g. si quis diceret: Ich wolte wohl vor  
ihn gut sagen daß er ein ehrlicher Mensch wäre. Item, wann  
es mich anginge wolte ich ihm wohl trauen. Exinde tamen com-  
mendans etiam non obstringitur. Aliud est enim ipsa fide  
jussio, aliud promissio de fide jubendo. *Vid. Dn. Schulz de*  
*Fur. Comm. c. 2. tb. 42.*

XXXIII. Ex hac verò speciali commendatione utique  
obligatur is qui commendat, cum æquipolleet mandato, *l. fin.*  
*ff. quod cum eo qui in alien. potest.* Præprimis si intempesta  
fuerit commendatio, v. g. si quis dixerit: Traue ihm auff mein  
Wort!

Wore/ er ist ein ehrlicher Mensch / bey dem keine Gefahr ist.  
Consilium enim, quod non fuerit nudum, sed ad perniciem  
probitatis trahi potuerit, est puniendum, l. 20. C. de Serv. Cor-  
rupt. Hinc si ministri & famuli à quodam hoc modo lau-  
dentur, is qui laudavit, tenetur de omni damno. Quid enim  
magis noxium est, quàm si personæ ministrantes laudentur,  
deque iis affirmetur, esse idoneas, cum non sint? *Cons. Arg.*  
*Vol. 1. Cons. 3.* quod citat *Dn. Schacher in Disp. de laud. Intemp.*  
*cap. 3. v. 67.*

XXXIV. Inter Mercatores quoque persuasio ac rogatio  
de credendo merces alicui ignoto, obligationem inducit, ac  
persuasus damnum sentiens, illud à persuadente jure reposcit:  
quippe quod persuasor semper fidejubere censeatur. *Vid.*  
*Brunem. Cent. 3. Decis. 80. Marquart. de Jure Mercat. l. 2. n. n.*  
*69. Carpz. p. 2. C. 18. def. 2. in fin.* Ubi addit præjudicium  
de An. 1632. mens. sept. in causa, Michel Wolchen/ contra Veit  
Franken/ in quo Lipsienses: Weil ihr selbst berichtet/ daß ihr Veit  
Franken einen Kauffmann gebethen / Nicol Helbrichen euren  
Freunde/ so gedachten Sr. Unbekandt gewesen/ die Wahren ab-  
folgen zu lassen/ dabey auch ausdrücklich gesaget/ daß er es auf eu-  
re Gefahr thun sollte &c. so seyd ihr/ wenn ihr auch gleich keine  
Kauffmann wäret/ vor euren Freund zu haften und die Zahlung  
zu leisten schuldig. V. X. W.

XXXV. Contractus mandati æquè exactam requirit per-  
sonarum notitiam, nec mandanti ignotus esse debet man-  
datarius, ne forsan, si mandati fines excesserit, damnus ali-  
quod exinde sentiat. Etsi enim regularitèr in terminis nudi  
mandati, ex facto mandatarii, si mandatum excesserit, non te-  
netur mandans, Attamen si negotium jam tum cum tertio  
quodam intercesserit, vel fidem mandatario habere mandans  
jusserit, subducere se haud poterit obligationi, quò minus ex  
facto mandatarii teneatur. Etiam si is propria spontè aliquid



præter mandantis voluntatem fecerit, per *l. 5. §. 9. ff. de Inst. Act.* Imputare namque sibi debet, quod negligentem mandatarium elegerit, *l. 23. in fin. ff. de minor.*

XXXVI. Et ita etiam Scabini Lipsiens. Ao. 1647. mens. Octobr. ad requisitionem Tobia Singers zu Freybergk responderunt, in casu quo aliquis per proxenetam, cuidam tertio instrumentum obligationis super 800. florenis pro 40. flor. oppignorum dedit; Proxenetam autem ab illo tertio 90. fl. mutuo accepit, nec mandanti integram summam, sed 40. saltem florenos dedit; Ubi nihilominus tamen dantem ad solvendam integram summam 90. florenorum condemnarunt: Verba sent: Hat Titius der Semproniam einer öffentlichen Tredel-Frauen/welche manchmahl Gold und Silber anderen Leuthen/iedoch ohne benennung des Debitoris, zu versetzen pfleget/eine Schuldverschreibung über 800. fl. so auf ihn als Creditorn gerichtet/dergestalt übergeben/das sie ihm 40. fl. auf eine gewisse Zeit borgen/und dargegen selbige Verschreibung unterpfändlich versetzen sollte. Sempronia aber hat bey der Cornelia hierauf 90. fl. geborget/und Titio mehr nicht als begehrte 40. fl. überbracht/das übrige aber vor sich behalten/welches so wohl Titio als Cornelia unwissend. Nach diesen ist Sempronia hinwegkommen/dahero nunmehr Cornelia von Titio 90. fl. vor voll fordert und bezahlet seyn will. Ob nun Titius vorwendet/das er der Semproniam mehr nicht als 40. fl. zueborgen anbefohlen und empfangen. Dieweil er aber dennoch die Semproniam, derer Gelegenheit und Zustandes sich zu förderst zu erkundigen ihm obgelegen/abgeschicket/und dahero Ursach/das die Cornelia derselben getrauet/auch in keiner Abrede nunmehr ist/das die Sempronia 90. fl. aufgenommen; So ist Titius der Cornelia die 90. fl. völlig unbezahlschuldig. *B. N. W. Vid. Carpz. p. 2. Decis. 130.*

XXXVII.

XXXVII. Quod societatem attinet, etiam hæc ante omnia postulat, ut non ignoram habeamus conditionem & mores ejus, cum quo societatem inire volumus. Si enim in talem socium, qui societatis commodis parum invigilat, citra inquisitionem quis inciderit, non nisi de se quæri sibi quæve imputare debebit, *Vid. §. fin. Inst. de Soc. l. 72. ff. pro socio.*

XXIIX. De cætero quod hæctenus circa modos contrahendi obligationem de ignotis diximus, eadem etiam in modis distrahendæ obligationis de iisdem obtinent, ita ut ille etiam, qui se liberare vult, imprimis inquirere debeat, nec cum ignoto rem habeat, *Sande ad l. 19. ff. de R. J.*

XXIX. Id quod videmus in solutione, quæ ut effectum suum habeat, & ab obligatione solventem liberet, ei fieri debet, cui obligationem distrahendi licentia est, *Zaf. ad ff. Tit. de Sol. §. lib. n. 6.* Nam si alii, cui hæc potestas in jure adempta est, e. g. si pupillo, furioso, aut prodigo solvat, adhuc obligatus manet debitor, & ad iteratam solutionem cogi potest. Quod & verum est, etiam si tutoris vel curatoris auctoritate, absque tamen decreto judicis præcedente, facta fuerit solutio; nec enim illa liberabitur debitor, *l. 25. C. de Admin. Tut. Carpz. p. 2. Const. 11. Def. 15.* Nisi probaverit pecuniam solutam à pupillo, furioso, prodigo, utiliter impensam, & in rem eorum versam esse: Sic enim tenebit solutio, *l. 17. ff. de sol. §. lib.*

XL. Per interpositam personam rectè quidem solutio etiam fieri potest; sed & tunc necesse est, debitorem non ignotum habere illum, cui solvit. Quod si enim personæ, cui solvendi obligationem potestas à Domino data non est, solvatur, solutio eisdem facta solventem non liberat, licet conjunctæ personæ, v. g. filio familias *l. 22 ff. de Sol. marito vel uxori l. 11. C. eod. facta sit.* Nisi res soluta ad creditorem pervenerit, *l. 88. ff. eod.*

XLI. In delegatione, quando scilicet debitor vice sua alium debitorem, & creditori stipulanti solutionem promittentem, dat, *l. 11. ff. de Nov. & Deleg.* non ignotus quoque debet esse ille, qui eidem delegatur, sed scire potissimum debet creditor, an bona habeat solutioni sufficientia, & an ab ipso commodè debitum suum consequi possit. Si enim ante delegationem sibi in hoc non prospexerit, etiamsi postea à delegato debitum exigere nequeat, nullum tamen adversus delegantem habebit regressum, *l. 2. & 3. C. de Nov. & Del.* cum per delegationem, perinde ac per solutionem, prior obligatio tollatur, *l. 8. §. 3. ff. ad Sc. Vellej. Carpz. p. 2. c. 28. def. fin.* sibi enim imputare debet, quod talem debitorem sibi delegare passus sit, *l. 3. §. 3. ff. ut in poss. Leg. l. 3. ff. de Nov. & Del.* Nisi periculum nominis à delegante stipulatus fuerit, tunc enim pecuniæ, quæ à delegato servari non potuit, exactio salva est, *l. 45. §. 7. ff. Mand.*

XLII. Neque aliter est in cessione nominis. Cum enim cedens ad evictionem eatenus sit obstrictus, ut solummodo præstet cessum debitorem, & sine exceptione efficaciter obligatum, *l. 13. ff. d. R. J.* non autem ut præstet debitorem locupletem, sive nomen idoneum, *l. 4. ff. de hered. l. Act. vend.* Vel breviter, cum cedens teneatur bonum nomen facere de jure, i. e. obligatum, & non de facto, i. e. locupletem; Negligentiam suam accusare debet is, quod ignotum debitorem sibi cedere passus sit, qui solvendo non sit; Nisi cessionarius à cedente, asserente & commendante debitorem esse solvendo sit seductus, *arg. l. 22. §. 2. ff. Sol. matrim.* Dolum enim quilibet cedens præstare debet, *l. 74. ff. de Evict. in fin. Brun. de Cess. Act. c. 5. n. 50.*

XLIII. Hac potiora sunt, quæ circa actus, qui inter vivos contingere solent, de ignotis dici potuerunt. Videbimus

bimus nunc quid ex his, quæ mortis causâ fiunt, ad eosdem  
pertineat.

XLIV. Ubi primò quantum ad personam testatoris  
attinet, notandum venit, quod ille non ignotus esse debeat  
testibus, dum conditur testamentum, i. e. ut non tantum lo-  
quentem eum audiant, sed etiam videant *l. 9. C. de Test.* Id  
quod ideò introductum est, ut summâ sinceritate omnia pro-  
cedant, omnesque evitentur fraudes & fallaciæ, quæ in re mul-  
torum oculis spectatâ, & satis cognitâ non præsumuntur, *l. 8.  
C. qui test. fac. poss.* Solo verò auditu interveniente, facillimè  
fieri posset, ut alius in ægroti locum supponeretur, qui vo-  
cem testatoris imitando, simularet, ac ita testes deciperet. *Pa-  
cianus de Prob. l. 1. c. 10. n. 82. Carpz. p. 3. c. 3. def. 2. n. 7. Brune-  
man. ad l. 9. C. de Testam.*

XLV. Hinc non valere dicimus testamentum, si pro-  
pter cortinam vel parietem intermedium, cognosci non po-  
tuerit testator. *Dauth. de testam. ad l. 28. C. de test. n. 3. Dn.  
Stryck. de Jur. Sens. Diff. 3. c. 1. n. 19.* Neque pariratione id,  
quod in tenebris & noctis tempore in obscuro confectum.  
Etsi enim & nocte signari testamentum posse, Ulpianus asserat  
*in l. 22. §. pen. ff. qui test. fac. poss.* subintelligendum tamen  
semper est, si cognosci possit testator à testibus, *Glossa in l. 14.  
§. 3. ff. quod metus causa;* Quem in finem tria ad minimum  
luminaria accendi volunt DD. *arg. l. 1. §. 40. ff. de Vent. insp.  
Polyd. Ripa de tempore noct. c. 121. n. 2. seqq. Lauterb. Vol. 4.  
Disp. de solennit. testament. th. 13.*

XLVI. Testatorem hæres sequitur, cujus institutio du-  
plex est, alia necessaria, alia voluntaria: Illo modo hæredes  
instituenti sunt parentes & liberi, *pr. Inst. de exhæred. lib.* nec  
non certo casu fratres & sorores *§. 1. Inst. de Inoff. Test.* aut ex  
justâ causâ exhæredandi. Alioquin si præteriti fuerint, cor-  
ruit testamentum. *Nov. 115. c. 3.* Nec quicquam facit, quod  
igno-

ignoti fuerint testatori, quia forsam postea nati, aut ipse falso  
rumore perlato, eos in rebus humanis non esse putaverit. *l. 29.  
ff. de manum. test.* Hinc enim multo magis infirmabitur te-  
stamentum, cum non satis constet de voluntate testatoris, &  
præsumtio sit, si testator scivisset, se habere liberos aut parentes,  
eos ipsos, non alios, juxta requisita legum, hæredes scriptu-  
rus fuisset, *arg. l. 80. ff. de V. O. & l. 12. ff. de reb. dub.* Id quod  
etiam in testamento militis non aliter se habet, *§. 6. Inst. de ex-  
her. lib. & l. 20. C. de Test. milit. Add. Carpz. p. 3. C. 9. def. 23.  
in fin.*

XLVII. An autem hoc in casu totum corruat testamen-  
tum, an verò tantum quoad institutionem, ita ut legata & cœ-  
tera capitula firma maneant, quæstio est? Nos prius affirma-  
mus; Quod enim, si noti sint præteriti, quoad legata & cœtera  
capitula subsistat testamentum, hoc ideò fit, quia testator le-  
gatariis magis, quàm notis illis liberis atque parentibus præ-  
spexisse videtur. Atqui verò hoc de illis, qui per ignoran-  
tiam præteriti, dici non potest, tantum enim abest, patrem  
tùm maluisse prospicere legatariis, quàm filio ignoto, ut non  
præsumatur in præjudicium ejus quicquam legare voluisse,  
uti notat *Jason. in Auth. Ex causa, C. de lib. prat. n. 4. & 5. facit  
huc l. 36 §. 2. ff. de test. milit. Carpz. lib. 6. Resp. 11.* Ubi hanc  
sententiam duobus firmat præjudiciis,

XLVIII. Nec sustinetur quoque testamentum, etiamsi  
legata ad pias causas destinata sint. *Gail. lib. 2. obs. 113. n. 2.*  
Aut si clausula codicillaris testamento sit apposita, *Id. Obs.  
14. n. 8. seqq.* quippe quæ ob defectum voluntatis, quam sup-  
plere nequit, nihil operatur. *Schneid. in §. 2. Inst. de Cod.*  
Et est præsumtio deficientis voluntatis hic adeò efficax, ut  
non subsistat testamentum quoad legata, etiamsi filius igno-  
ranter præteritus id ratum habere vellet, *DD. in l. 10. de test.  
milit. cit. & Carpz. all.* Ejus enim approbatio non faceret in-  
sti-



institutum heredem habere voluntatem defuncti, sine qua institutus hereditatem habere nequit, *l. fin. ff. de hered. inst.*

XLIX. Sed quid si pater universaliter filios heredes instituat, an eo casu intelligatur quoque instituisse filium, quem ignotum habuit, aut mortuum esse credidit? Communem opinionem esse, quod non, docet *Gail. lib. 2. Obs. 113. n. 8.* Benigniore tamen sententiam approbat, hoc casu testamentum valere, & filium ignoranter præteritum universaliter institutum censi. In materia enim testamentorum, ubi pugnant sunt DD. opiniones, tenenda est illa opinio, quæ favet testamento, *l. 10. ff. de Inoff. Test. l. 4. §. fin. C. de Posth. her. instit.*

L. In heredis institutione voluntariâ, quilibet ignotus rectè potest hæres institui, *§. 12. f. de her. inst.* etiam si penitus quoque sit ignotus, *l. 11. C. Eod.* Sufficit enim, certum esse, quem heredem scribimus, *l. 9. §. 9. ff. ibid.* ut ut vel de facie, vel penitus sit incognitus, cum in testamentis conficiendis non tam ad notitiam illorum respiciatur, quibus quid relinquitur, quam ad voluntatem testatoris, an illa ad exitum perducì haud difficulter possit, anque juri sit consentanea DD. *ad §. fin. Inst. d. t.* Idem procedit quoque in Legatario, qui & ipse ignotus esse potest testatori, quod tamen non ideò inutile reddit legatum. *Hottom. ad d. §.*

LI. Neque obstare potest, quod certum esse debeat consilium testatoris, certa que persona institui. *Ulp. tit. 22. §. 3. C.* Et quod eos etiam ferè heredes instituere soleamus, quorum merita affectionem nostram provocaverunt, *l. 9. ff. pro Soc.* Sanè enim ubi testatoris voluntas in personam aliquam certam destinata est, incertum ejus consilium, incertave institui persona dici nequit; Licet circa accidentia personæ, puta, nomen, aut faciem incertitudo sit. Et potest etiam quis erga ignotum ita affectus esse, ut optimè ei velit, sive propter fan-

G

gvi-

ginis necessitudinem ei conjunctus sit, sive propter famam virtutis aut eruditionis eum notum habeat. *Vinnius ad al. §. 12. Inst. de her. Inst.*

LII. Sed quomodo hæredibus ignotis Judex testamentum aperire poterit? R. si neque scriptos neque hæredes ab intestato noverit magistratus apud quem depositum est testamentum, tunc potest, adhibitis optimæ notæ testibus, testamentum aperire, & legere nomina hæredum, *arg. l. 7. verb. nec ad rem pertinet, ff. quemadmodum test. aperian. Vid ibid. Brunemann. n. 3.* ac deinde publicis locis affixâ citatione, generaliter eosdem citare *Davtb. ad l. 2. C. de Test.*

LIII. Quid si ignotus hæres, antequã se hæredem institutum sciverit, mortuus fuerit an hæredes ejus adire hæreditatem poterunt? De Jure stricto non possunt, quippe quod nemo potest transmittere hæreditatem, quam sibi delatam esse ignorat, *l. 7. C. de Jur. delib. §. ult. Instr. de hered. qual. §. diff.* Ignorans enim hereditatem acceptare non potest, *l. 4. C. de postl. revers. l. 21. ff. de Cond. §. demonstr.* ac consequenter nec ullum acceptandi jus transmittere, siquidem nemo plus juris in alium, quam ipse habet, transfundere potest, *cap. 79. de R. J. in sexto.* Poterunt tamen hæredes hoc casu ob justam defuncti ignorantiam judicis officium implorare, ut ex clausula generali ad Jus deliberandi ex defuncti personâ restituantur. *Rauchb. p. 2. qv. 15. n. 25. Wesenb. part. 1. Conf. 89. n. 11.* Modo tempus triginta annorum non effluxerit, justaque causa ignorantiae subsit, velut si hæres ante publicationem testamenti decesserit, & ita scientiam hæreditatis sibi delatæ haud habere potuerit, *l. 86. ff. de acqu. hered. Carpz. p. 3. C. 14. def. 24.*

CA-

CAPUT V.

*De Ignotis circa Judicia.*

I. Accedimus nunc ad jura Ignotorum circa Judicia; In Judiciis duplex processus observatur: Civilis nempe & Criminalis.

II. Quantum ad processum civilem tres imprimis personæ principales in illo considerandæ sunt; Judex, Actor & Reus.

III. Quod Judicem attinet, ille de facie quidem ignotus esse potest partibus, nec ideò reus, qui ab ipso citatus est, judicium declinare potest: Non ignotus autem esse debet quoad nomen, officium, aut dignitatem *Bernb. Grav. l. 1. Concl. 48. consid. 1. in fin.* Exprimere igitur Judex in citatione debet nomen officii sui, *l. 80. ff. de Judic.* saltem in hunc finem, ut constare citato possit, an ad competentem judicem sit citatus, an non *Dn. Nicol. de Proc. Jud. cap. 3. p. 32.* Necessè tamen non est ut exprimat nomen proprium, aut cognomen suum. *Carpz. in Proc. Jur. Tit. 7. Art. 2. n. 9.*

IV. Actor & Reus de facie sibi quoque ignoti invicem esse possunt, non idem etiam quoad nomen; Inde est quod sæpenumero in locis longè distitis processus contra personas, quibuscum forsan olim negotium intercescit, instituantur, quas tamen nunquàm de facie cognovimus. Quoad nomen tamen omninò non tantum sibi invicem, sed etiam Judici non ignoti esse debent actor & reus. Quà de causâ in specie requiritur, ut in supplicatione pro impetrando processu nomen & suum & citandi exprimat actor, ut citationi illud inferre possit Judex. *Ummius in Proc. Disp. 5. tb. 2. n. 8. Gail. libr. 1. Obser. 49. n. 1. seqq.* Et quidem non modo nomen proprium, sed æquivocationis evitandæ causâ, etiam agnomen & patrum. *Mynsing. Cent. 5. Obser. 50. in pr.*

V. Testes in Judicio neque Judici neque partibus ignoti esse debent, ut scire possit an ad dicendum testimonium sint idonei. Neque enim omnes indistinctè ad ferendum testimonium admittendi sunt. Hinc est, quod Imperator in *Nov. 90. cap. 1. de Testibus* præcise requirat, ut noti & imprimis bonæ opinionis sint, neque ut dignitatis, aut militiæ, aut divitiarum, aut officii causa iisdem fidem deroget. Ignobiles enim, vilissimi, & nimis obscuri, propterea quod ignoti sint, ad testimonium procedere non possunt, nisi eorum vita ut inculpabilis atque moderata sit, facile demonstrari possit.

VI. Si autem undique sint ignoti, h. e. si non actori quidem vel reo, sed omnibus bonis ignoti, ita ut de eorum honestate & vita nulli possint testes deponere, admitti quidem ad dicendum testimonium debent in subsidium, h. e. si alii testes haberi non possint; ob suspicionem autem corrumpendi veritatem, quâ laborant, subjici debent verberibus, hoc est, torturæ, *Pr. Nov. 90. c. 1. §. 1.* Quod tamen hodie apud nos in causis civilibus, propterea quod nimis crudele sit, non observatur, *Rittersb. ad dict. Nov. 90. p. 9. c. 22. n. 7.* Testem autem ad testimonium dicendum inhabilem non facit, si Judici vel parti de facie sit ignotus, modo quoad cætera eisdem notus sit. Unde ille ignotus dici non potest, cujus nomen, domicilium, urbs, ætas, mores, officium, vel artificium sciri possunt. *Gothofr. in not. ad all. Nov. 90. n. 14.*

VII. Processus Criminalis duplex est, vel enim instituitur per accusationem, vel per Inquisitionem. *Carpz. Pr. Cr. p. 3. qu. 103. n. 17.*

VIII. Accusatio hodiè rarior, quia minus secunda est; frequentior autem denunciatio est;

IX. Denunciatores autem vel necessarii sunt, vel voluntarii. Necessarii sunt, qui & alias delatores, & exploratores, Germ. *Spüßrer* / Et in specie Officiales vocantur. Officiales

les



les autem ex necessitate officii juramento ad hoc adstricti  
sunt, ut omnia delicta denuncient, *l. 7. C. de Accus. l. 6. ff. de  
cust. & exhib. Reor.*

X. Ubi oritur quæstio, an etiam delictum denuncia-  
re teneantur, cujus autor ignotus est. *Salycetus ad l. 7. C. de Ac-  
cus.* Secundum verba statutorum de Officialibus disponen-  
tium, hanc quæstionem decidit. Aut enim inquit statuta in  
rem scripta sunt, aut in personam, aut utroque modo. Si in  
rem scripta sint, h. e. quod omnia delicta denunciare debe-  
ant, & tunc, licet ignorent deliquentem, delictum tamen utri-  
que denunciare debent. Si in personam scilicet ut denuncia-  
re debeant omnes, qui maleficia commiserint, tunc si igno-  
rant reum, etiam delictum denunciare non tenentur. Sin  
autem utroque modo conscripta sint ut omnia maleficia, &  
personas committentes, denuncient, tunc utroque casu teneri,  
sive ignota sit persona, sive non.

XI. Verum moribus nostris, cum officialibus hæc cu-  
ra generaliter committi soleat, eosdem tutius agere statuen-  
dum erit, si corpus delicti, licet ignotus sit autor, denuncient,  
& Judici hoc modo viam præparent ad inquisitionem gene-  
ralem; Sic enim magis conscientia suæ & Reipublicæ con-  
sulent. *Vid. Dn. Schult. diff. de Denunc. Crim. c. 3. n. 17.*

XII. Denunciatores voluntarii sunt omnes illi qui pro-  
prio motu delictum aliquod deferunt, sive sit offensus ipse,  
sive alius delator spontaneus, vel denique ipse delinquens.  
*Zanger. de quæst. sive Tort. in proem. n. 14.*

XIII. Quod si in civitate delatores publici constituti  
non sint, quilibet, etiam ignotus occulta delicta denunciare  
Judici tutò potest. Non enim ut accusatores olim delatum  
crimen probare denunciantes tenentur, *l. 7. ff. de Accus.* Sed  
indiciis saltem suis Judici inquirenti assistere debent. *l. 6. §.*

3. ff. ad SCt. Turpill. Brunem. in Not. ibid. Modo non injuriandi aut calumniandi causâ aliquem denuncient, tunc enim ad damna sarcienda, & de falso tenentur, l. 6. §. fin. ff. ad SCt. Turpill. Brunem. in Not. ibid.

XIV. Anne autem ignotum denunciatores revelare tenebitur Judex? Resp. distingvendo, Aut enim Judex fidem dedit denuncianti se eum non revelaturum, & tunc ob exuberantiorē, quæ in ipso requiritur, fidem, revelare eum haud posse dicendum, arg. l. 1. pr. ff. de const. pec. Si verò non dedit fidem, & nuda tantum adsit denunciatio, & nulla præterea indicia, revelare utiqve poterit eum, imò debet, ne impunita maneat alterius frivole facta denunciatio, l. 1. §. 2. ff. ad SCt. Turpill. l. 7. pr. ff. de Injur. Oldekop. in Observ. Crimin. tit. 2. Obs. 9. & 32. Jodoc. Damboud. in Prax. Crim. cap. 6. n. 11. Add. Dn. Hoppe. in Diss. de Verit. convicii membr. 2. th. 13.

XV. Anne quilibet tenetur delinquentem Judici ignotum revelare? Regulariter nemo tenetur arg. c. Licet de Accus. l. Unic. C. ut nemo Invit. Steph. Fagundez ad Decal. lib. 8. c. 49. n. 5. Carpz. p. 3. Qu. 134. n. 56. Cum enim factum infectum fieri nequeat, & per accusationem crimen jam commissum non impediatur; in foro etiam conscientie exculpandus erit ille, qui vult humanum sanguinem redimere, & spe melioris frugis ignotum delinquentem reticere.

XVI. Idque maxime verum est in parentibus aliisque cognatis personis, quarum plurimum interest familiam suam per irrogationem supplicii ignominiosi non dedecorari, aut injuriâ aliquâ affici, arg. l. 2. ff. de Recept. Et alias quoque ignoscendum est illis, qui consilium pro tuendis suis capiunt, l. 22. §. 4. ff. ad L. Jul. ad adult.

XVII.

XVII. Aliud autem est, si 1. nulla spes melioris vitæ superfit, sed potius continuatio delicti metuatur, 2. Si omiffa accusatione damnum Reipublicæ inferatur; semper enim Reipublicæ salus etiam vitæ privatorum præferenda est. 3. Aut delictum atrox, e. g. crimen læsæ Majestatis sit. 4. Aut alias innocens in inquisitionem veniret, pœnaqve mortis afficeretur; Melius enim est ut nocens puniatur, quàm ut innocens pœnas luat immeritas. *Lesius d. I. § I. lib. 2. c. II. dub. 9. 5.* Aut si jussu superioris & lege publicâ autoris ignoti revelatio injuncta sit. Tunc enim quilibet Judici ignotum delinquentem denunciare tenebitur, *Vid. Dn. Stryk. Disp. de Consc. Part. c. 1. n. 16. seqq.*

XVIII. An sacerdos cui in specie in confessione se revelavit ignotus illum magistratui indicare tenetur? Respond. Non tenetur, neqve à superiori Judice ad id cogi potest. *c. 13. Ext. de Excess. Præl. c. 2. Ext. de Off. Jud. Ordin.* Non enim sacerdos ut homo sed ut vices Christi gerens confessiones hominum audit, non igitur quæ Christi nomine audiverit hominibus propalare tenebitur. Quæ sententia etiam Dn. Luthero placuit in *colloq. Germ. c. 14. fol. 191. in Tom. Jen.* qui ita loquitur: *Sie hat mir nichts gebeichtet/sondern den Herrn Christo/und weil es Christus heimlich hält/so soll ichs auch heimlich halten/und stracks sagen; Ich habe nichts gehöret/hat Christus was gehöret so sage ers.* *Vid. Carpz. P. 1. C. 16. def. 70.*

XIX. An delinquens, qui adhuc ignotus est, se ipsum deferre in conscientia est obstrictus? Negant hoc communiter Moralistæ, *Vid. Fagundez. ad decal. lib. 8. c. 49. n. 5. seqq. Pufend. Elem. Jurispr. lib. 1. def. 12. n. 33.* Quæ sententia etiam neqve juri contraria est: Nemo enim regulariter tenetur accusare alium, *L. Unic. C. ut nemo invitus:* Ergò multò minus seipsum. *Conf. Zoes. ad Tit. de Accus. n. 17.* Et cum magnus  
hu-

humani sanguinis favor sit, ignoscendum facile ei est, qui sanguinem suum qualiter qualiter redimere velit, *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent.* Neque justitia etiam in se considerata absolute & immutabiliter exigat, ut omne delictum simpliciter innotescat, vel per unum alterumve deferatur, cum non omnis retributio finiatur in hoc seculo: Et habeat omniscius rerum moderator occulta etiam delicta manifestis flagellis puniendi modos. *Vid. Dn. Stryck, diss. de Jur. hominis in se ips. c. 3. n. 35.* Hinc etiam si quis secundum statuta, teneatur denunciare omnia delicta ejus loci commissa sub gravi poena, non teneri tamen denunciare maleficia, quae ipse ibi commiserit, inquit *Hippolit. de Marsil. Pr. Crim. §. aggredior n. 20. Vid. Dn. Schulz. Diss. de Denunc. Crimin. c. 2. n. 46.*

XX. Si autem quis a Judice de delicto juridice interrogetur, non licebit ipsi salva conscientia negare delictum. *Lessius d. 7. §. 7. lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 12.* Non enim hac confessione se ipsum accusat, sed cum de delicto suo jam dum extent indicia, fatetur saltem sibi non fieri injuriam. *Pufend. Elem. Jurispr. lib. 1. def. 12. n. 33.* Sed & hic major vitae, quam conscientiae habetur ratio. *Dn. Stryck, disp. de Sal. publ. c. 5. n. 33.*

XXI. Caeterum si ignoti delinquentes proprio motu se ipsos deferant, & maleficia sua Judici sponte detegant; Tunc poenae mitigationem ipsis Jus disposuit. Exempla habemus in *l. 5. §. ult. C. ad L. Jul. Maj. l. 1. vers. Accusatores, C. de fals. monet. l. 1. §. 26. ff. de Quest. Auth. Novo Jure C. de poen. Jud. qui male judic. C. 11. c. 12. qv. 1. c. 1. c. 15. qv. 8. cap. 20. Ext. de Elect. cap. ult. Ext. de furt.* Etiam in Jure Saxónico *l. 2. Landrecht/ art. 14. kömmt einer denn ohne den Todten vor Gericht/ und bekennet es/ ehe mann über ihm flaget / und erbeut sich darum zum Rechte / mann soll ihn den Hals nicht vertheilen.* Et



Et paulò post: Umb den todten Mann mag ihm niemand an den Hals sprechen / alldieweil er sich zu recht darüm erbeuth / ehemann auf ihm flaget Sed hæc poenæ mitigatio tamen non aliter locum habet, quàm si Judex superior delinquenti id velit concedere. *Carpz. p. 3. qv. 249. n. 23. seqq.*

XXII. Sequitur Processus Inquisitorius, circa quem se offert quæstio, quomodo ignotus delinquens investigandus sit? Ubi generaliter sciendum est, quod quotiescunqve delictum aliquod commissum esse dicitur, & de autore adhuc nondum constat, Judex debeat inquirere in corpus delicti, & omnes ejus qualitates, imò & circumstantias loci, temporis, aliarumqve rerum & testes generaliter de facto perpetrato examinare. *Brun. in Pr. Crim: c. 7. n. 32.*

XXIII. Ubi tamen in quovis delicto non uno eodemqve modo procedere potest, sed prout circumstantiæ ac qualitates cujusvis delicti postulant, alium semper atqve alium processum debet instituere. Dabimus exemplum in homicidio, cujus autor ignotus est, quod refert *Brunem. cit. loc.* Hic ante omnia necesse est, ut Judex cum medicis & chirurgis ad occisum se conferat, qui si & ipse ignotus sit, describi ante omnia à Notario curet defuncti sexum, staturam, capillorum colores, barbam, ætatem, quatenus scilicet ex aspectu probabiliter colligi potest, & vestimenta, idqve ideò, ut si fortè post sepulturam fama ferat aliquem esse occisum, certò sciri possit, hunc esse illum ipsum, qui fuerit illo loco interfectus. Describat postea locum, ubi fuerit repertus, vulnera, an cæsim aut punctim videantur inflicta, & quo genere armorum. Examinare præterà debet testes, qui probabiliter notitiam rei habere videntur super articulis: (1) An cognoscant occisum de facie, & quisnam sit? (2) An sciant ipsum esse interfectum

H

ab



ab alio? (3.) Unde illud sciant? (4.) Quis ipsum occiderit? (5) Annon suspicionem habeant de aliquo, & quæ causa suspicionis? (6) An nesciant quâ viâ ac ratione autor homicidii investigari possit? (7) An nesciant intercessisse inimicitiam inter occisum & alium? (8) An quid alias testi hac de re notum sit? Quibus & aliis modis ignotum homicidam facilè investigare poterit iudex. *Brun. in Pr. Crim. c. 7. n. 28.*

XXIV. Quod si verò neque hac viâ interdum autorem resciscere queat, poterit insuper vel scriptis publicis, vel ex suggestu, delictum perpetratum narrare, & ita in delinquentem inquirere, promissis desuper præmiis his qui eum detegant, vel possint detegere, *arg. Extrav. Comm. de Furt.* Id quod etiam in Conventione inter Ser. El. Brandenburgicum, & Duces Megapolitanos de Anno 1617. quam refert *Brun. Pr. Crim. c. 8. memb. 1. n. 13. in §.* Auch soll ic. contra latrones & prædones ita constitutum esse legimus; verba ita se habent: Auch soll als denn hiebenebens dies Mittel gebraucht werden / daß an allen umliegenden Dörthern / da der Angriff geschehen / von den Cancellen abgekündiget werde / daß demjenigen / so diese heimliche Räuber beglaubter weise entdeckten und anzeigen würde / ein gewis Geldt aus den Chur- und Fürstl. Kenthreyen soll gewis und ohnfehlbarh gereichet werden.

XXV. Quid si unus delinquens notus sit, socii autem criminis ignoti? Etiam hic generaliter in eos inquirere debet iudex, nec reum in torturâ particulariter, in specie vel de individuo, puta de Titio vel Cajo, sed in genere de sociis quærere, quoniam socii criminis fuerint, juxta verba Const. Crim. Car. V. Art. 31. §. Erstlich ic. Daß dem Sager die beklagte Person in der Marter mit nahmen nicht füreg-

fürgehalten / und er also auf dieselbe Person sonderlich nicht  
gefraget / oder gemartert / sondern daß er insgemein gefraget  
werden soll / wer ihm zu seiner Missethat geholffen. *Specialis*  
*enim ista interrogatio, non tam esset interrogatio, quam*  
*suggestio, l. 1. §. 21. ff. de Quest.*

XXVI. Deinde interrogare ulterius debet de loco  
& tempore aliisque circumstantiis, ex quibus postea depre-  
hendere poterit, an verisimilis sit hæc proditio nec ne; *all.*  
*Art. 31.* Daß derselbe Sager gar eigentlich gefraget werde /  
wie / und wo / und wann ihm der besagte geholffen / und was  
vor gesellschaft er mit ihm gehabt / und in solchen soll man  
den Sager fragen aller möglichen und nothdürftigen Umstän-  
de / die nach Gelegenheit ieder Sache allerbest zu nachfolgen-  
der Erfindung der Wahrheit dienlich seyn mögen. *Vid. Carpz.*  
*Pr. Crim. p. 3. qv. 121. n. 22. § 32. seq.*

XXVII. Et ita quidem semper necesse est, ut pro  
qualitate delictorum generaliter inquirat Magistratus, si  
delinquens verè ignotus sit. Quid si autem aliquis quo-  
ad personam quidem notus sit, ubi lateat autem saltè  
ignoretur? Hic specialis instituitur inquisitio, & si delin-  
quens in urbe latet, per investigationem ædium, durch die  
Haussuchung / quæritur; Si extra urbem fugitivus sit, emitti  
solent literæ patentis incarcerationis, offene Steckbriefe /  
in quibus delinquens quoad staturam, vultum, vestimenta  
exactè describitur, & cujusque loci Magistratus rogatur, ut  
ubicunque locorum reus fugitivus reperiatur, velint eun-  
dem capere, vel concedere, ut eorum permisso capere  
liceat, *Brun. Ibid. c. 8. membr. 1. n. 12.*

XXVIII. Testibus regulariter in criminalibus non  
ignotus esse debet delinquens si fides eorum testimoniis  
adhiberi debeat.

XXIX. Hic quærare nos oportet, Anne testi etiam,  
cui delinquens de facie tantum notus fuit, cæteroquin i-

gnotus, credendum? R. Cum non nihil incerta sit hæc de-  
positio, de certitudine ejus, si fidem facere debet, omninò la-  
borandum. Oculis igitur testis objiciendus iterum In-  
quisitus atque tunc interrogandus, an hic ille sit, quem de-  
linquentem viderat. *Vid. Brun. Pr. Crim. c. 8. memb. 2. n.*  
*99.* Ubi svadet quod hoc casu more Italorum, ob timorem  
subordinationis, non Inquisitus solùm, sed cum ipso alii duo  
& hi quidem quantum fieri potest, vestitu, facie & statura  
similes, testi representari debeant, & hic interrogari, quem  
horum viderat delinquentem in plateâ, &c. *Vid. Clarus*  
*qv. 45. n. 14. in fin.*

XXX. An testi credendum, si delinquens ei de facie  
tantum fuerit ignotus, vox tamen nota? R. Si ex circum-  
stantiis appareat, ipsum optimè cognitam habuisse vocem  
loquentis, ut in eâ falli non possit, puto eidem credendum  
esse. *Polyd. Ripa de temp. nocturn. c. 58. n. 4.* Pari enim  
ratione cæci testimonium admittitur, *Dn. Stryck. de Jur.*  
*sens. Diss. 2. c. 4. tb. 30.*

XXXI. Judex tamen hic valdè circumspectus esse  
debet, & probè attendere, ex quâ ratione alicui vox lo-  
quentis fuerit cognita, an fortè sit ipsius consanguineus,  
vicinus, vel familiaris amicus; *Mascard. de Probat Vol.*  
*1. concl. 278. n. 13.*

XXXII. Deinde etiam necesse est, ut testis vocem  
illo tempore cognitam habeat, quo committitur deli-  
ctum; Ut res, de qua deponitur, cadat in sensum auditus,  
& tantummodò de personâ dubium supersit; Ut testis  
deponat se cognovisse ex voce, quâ communiter uti so-  
let. Si enim deponeret, se audivisse eum acclamantem,  
nec notitiam clamoris per indicia probaverit, infirma erit  
ejus depositio, quia quis notam quidem habere possit ali-  
cujus vocem, non tamen ipsius clamorem. *Vid. Dn. Stryck.*  
*de Jur: Sens: Diss. 3. c. 1. n. 11. seqq.*

CAPUT

CAPUT VI.

*De Ignotis circa Delicta.*

I. Restatut jam ad delicta nos convertamus.

II. Delicta autem alia sunt publica, alia privata.

III. Inter privata delicta primo loco ponitur furtum. Circa quod se offert quaestio. An si ignoto, qui demonstrari nequit furtum factum, poena obtineat capitalis? R. Negando quia poenae capitali nunquam locus est nisi sufficienter antea constet de corpore delicti. *Ordin. Crim. Carol. Art. 161. Conf. Carpz. p. 4. c. 33. def. 1.* Corpus verò delicti in hoc consistit, ut certa atque cognita sit persona, cui furtum factum. *Carpz. pr. Crim. p. 2. qu. 81. n. 4.*

IV. Licet igitur furtum aliquoties iteratum confiteatur reus, nec tamen de personâ & loco quicquam certi Judex inquirens cognoscere potuerit, idcirco laquei poenae haud subjiciendus erit delinquens; Neque enim sola confessio corpus delicti constituit, *arg. l. 1. §. 24. ff. ad Sc. Silan. Vid. Const. Elector 35. part. 4. Rubr. Ob ein Dieb / welcher mit einem Diebstahl betroffen / den bekennet / Drey / Personen / wo / und wenn er gestohlen anzeigt / und doch in der Nachforschung solches nicht zubefinden ist / möge am Leben gestraffet werden junct. verb. Decis. daß sie doch mit Staupenschlägen allein ewig zu verweisen / und am Leben nicht zu straffen sey. Add. Mynsing. Cent. 3. Obs. 8.*

V. Hinc est, quod Crumeniferae sive Saccularii, die Beutelschneider / qui in nudinis & tabernis mercatorum, ubi magna est hominum frequentia, bursas abscindunt, alia-

que surripiunt, rarissimè, ac nunquam fere laqueo puniuntur: Etsi enim de re ipsa furtiva & bursa abscissa appareat, & ipsi etiam confiteantur, cum tamen certas personas, quibus sua abstulerunt, indicare vix queant, sic Judex de corpore delicti dubius, ne utique laquei supplicium eis indicare valet, *Vid. Carpz. Pr. Crim. p. 2. qv. 81. n. 29.*

VI. Quid Juris est, si fur ignotus sit, res furtiva autem apud aliquem inveniatur, anne is furem ignotum indicare tenebitur? Si malæ existimationis homo sit, apud quem res furtivæ repertæ sunt, res clara est, cum alias ipse fur præsumatur, ac torturæ, si non aliter probare possit suam innocentiam, subjici queat. per *Ord. Crim. Carol. Art. 43.* So der Diebstahl bey den verdachten gefunden / &c. und seinen Verkäuffer und Wehrmann nicht anzeigen wolte / so hat derselbe eine redliche Anzeigung der Missethat wieder sich / dieweil er nicht außführet / daß er solche Güter ungesährlicher unsträfflicher Weise mit einem guten Glauben an sich bracht. Id quod etiam in crimine rapinæ ita dispositum in Art. 38. Ejusd. Ord. So erfunden würde / daß jemand die Güter / so geraubet sind / bey ihm habe / &c. Und seinen Verkäuffer und Wehrmann nicht anzeigen wolte / der hat eine ehrliche Anzeigung solches Raubes halber wieder sich / dieweil er nicht außsündig mache / daß er nicht gewust / daß solche Güter geraubet seyn / sonderu die mit einem guten Glauben an sich bracht habe.

VII. Si bonæ existimationis homo sit, neque de hoc illud negandum, cum & hic non nominando autorem, alienam bono viro sibi conciliet opinionem, *l. 5. C. de Furt.* Nec liberabitur etiam bonæ famæ homo, si ab ignoto & transeunte se emisse dicat, quia obstat præsumtio legis, cum quis notum habere præsumatur, eum, cum quo  
con-

contrahit, *Masc. de Probat. Vol. 2. concl. 834.* nisi probare possit se in foro publico illas res emisse, ubi sæpè ab ignotis emitur. *Brun. ad d. l. 5. C. de Furt. Zang. & de Tortur. c. 1. n. 176.* Non ideò autem integræ famæ homo, penes quem res furtiva invenitur, quæstionibus subjici potest, *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Sed hic juramento se purgare poterit, quod ad deducendam suam innocentiam sufficit. *cap. 4. & 5. de elect. in 6to Carpz. pr. Crim. p. 2. qu. 87. n. 65, 66.*

VIII. Inter privata delicta ultimum est injuria, ubi quæstio incidit, an ab ignoto inferri possit injuria? Et respondemus inferri quidem posse, sed non vindicari; cum enim ut supra *c. 5. §. 4.* diximus actor & reus quoad nomen sibi invicem ignoti esse non possint, & is etiam, qui se injuriam passum contendit, certum aliquem designare, & specialiter nomen ejus dicere debeat, *l. 7. pr. & §. 4. ff. de Injur.* Quomodo adversus illum actionem poterit intendere, quem nominare non potest? nisi ille, qui intulit, si non de facie, saltem alias notus atque cognitus fuerit patienti, *Vid. Dn. Hoppe de Jur. Imperson. c. 4. §. 8.*

IX. Hic obiter de famoso libello dicendum nobis est, quod in illo requiratur, ut autor ejus ignotus sit, *l. Unic. C. de famos. libell. Constit. Crim. Carol. Art. 100. verb. Welcher jemand durch Schmachbrief / zu Latein liber famosus genandt / die er außbreitet / und sich nach Ordnung der Rechte mit seinen rechten Tauff- und Zunahmen nicht unterschreibet / 2c. Et Const Elect. 44. P. 4. Wo einer jemand durch Schrifften diffamiren / und seinen Nahmen nicht bekennen würde Carpz. Pr. Crim. p. 2. qu. 98. n. 24. & 29.* Ubi, cum publicè interfit, ne libelli famosi spargantur, communiter receptum est, ut talis libellus publicè per carnificem

cem



cem comburatur, & ignotus ejus autor pro infami declaratur. *Bocerus ad d. l. Unic. C. de Fam. libel. Brun. ad l. fin. ff. de absent. requirend. vel damnand.*

X. Diximus ignotum inferre posse injuriam, an ignotus autem pati poterit injuriam, & ea propter agere? *Affirm. per l. 18. §. 3. ff. de Injur. & l. 3. §. 2. Eod. Idque siue ille cui immediatè inferitur injuria, sit ignotus, d. l. 18. §. 3. siue cui mediatè, l. 1. §. 8. Eod. Unde non excusatur qui patrem aut maritum injuriati aut injuriatæ sibi ignotum fuisse dicit: modo injurias inferens in genere sciverit, injuriatum aut injuriatam esse filium aut uxorem. Versatur enim in re illicitâ, unde de omni tenetur, quod exinde sequitur, l. 6. C. ad L. Jul. de vi Publ. Nec aliud dicendum si quis ob mutatum habitum fuerit ignotus, l. 15. §. 15. ff. de Injur. Masc. de Prob. concl. 849. n. 2. Menoch. libr. 6. presum. 89. n. 5. & Conf. 614. n. 6.*

XI. Hic non incommodè inserimus quæstionem, an & qualis injuria inferatur Legatis, qui incogniti alicubi vivunt? Nos non putamus, quod æquè magna hisce personis inferatur injuria, ac si characterem Legationis publicè profiterentur: Cum qualis quisque extrinsecus videtur, talis possit judicari, l. 15. ff. de Injur. nec contempsisse queat dici legationem, qui ignoravit Legatum. *Menoch. l. 6. presumt. 76. n. 15.* Ut ad eò minus tuti sint Legati, qui hac ratione munus suum occultant: Nec enim, si in damnum aliquod improvisò incidant, postea ad inviolabilitatem, communi gentium consensu alias legatis competentem, provocare queunt, cum nomen quod spernimus profiteri, mox patrocinio nobis esse, cum volumus, non debeat, nec facilè ad jura neglecta regressus concedatur, l. 15. §. 5. in fin. ad L. Jul. de Adult. Vid. Alber. Gen. tit. de Legat. l. 2. c. 2.

XII.



XII. Inter publica delicta homicidium refertur, de quo hic notandum venit, quid juris sit, si unus in rixâ à pluribus occidatur, & autor ejus ignotus sit. In hoc casu haudquaquam ad poenam mortis deveniendum. Sed omnes poenâ extraordinariâ afficiendos esse etiam Jure civili per l. 17. ff. ad L. Cornel. de Sicar. certum est: *Vid. Brun. ad d. l. 17.* Cui quoque astipulatur Ord. Crim. Carol. Art. 148. verb. So einer in einem Aufruhr entleibet wird / und man möchte keinen wissen / davon er gefährlich verleset worden wäre / sollen die Urtheiler bey den Rechtsverständigen Raths pflegen / mit Eröffnung aller Umstände / daß nicht alles zu schreiben / unterschiedlich zu urtheilen ist. Quibus verbis nulla certa poena exprimitur, sed res tota arbitrio prudentum committitur. *Vid. Mach. Steph. in dict. Art. 148. circ. fin.* Et ad huc clarius Const. El. Saxon. 7. part. 4. Wann ihrer viel auf einem zu, und denselben zu todt schlagen / und man nicht wissen kann / aus welches Verwundung der Verstorbene umkommen / so soll diesfalls fleißige Erkundigung des Thäters halben genommen zc. Da es aber in dem entstände / so sollen sie alle im Zweifel mit der Tortur nicht belegen / noch auch am Leben gestrafet / sondern in willkührliche Geldbusse / Gefängniß oder Verweisung verurtheilet werden. *Vid. Carpz. P. 4. Const. 7. Def. 1. Et Pr. Cr. p. 1. qu. 25. n. 33.* Cujus juris hæc potissima ratio danda est, quod in dubio melius sit nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, l. 5. pr. ff. de Pœn. *Vid. Gail. lib. 2. Obs. 109. n. 2. seqq.*

XIII. Annon autem autor rixæ poenâ gladii ordinariâ plectendus erit, cum verus occisor ignotus sit? Hic dissentiunt inter se DD. Quidam, & major quidem pars eorum, affirmativam sententiam tuentur, quos recenset *Carpz. Pr. Crim. p. 1. qu. 25. n. 50.* Ipse autem cum Mollero, Modestino Pistorio, & aliis negativam defendit, eò potissimum motus, tum quod in Art. 128. Ord. Crim. autor rixæ, qui occisor non sit, expressè mortis supplicio eximatur, & arbitrariæ poenæ subjiciatur: Tum quod in occisorem etiam poenâ gladii tantum constituta sit, unde ad autorem rixæ, qui non statim occisor sit, non extendi debeat; *Videund. all. loc.* ubi simul argumentis contrariis respondet.

XIV. Sed quid si vulneratores quidem certi sint, quisnam autem primò vulneraverit, & ex quo vulnere decesserit vulneratus ignoretur, quid tunc statuendum?

I

Ne-

Neque in hoc casu planè inter se Autores conveniunt. Verior tamen mihi videtur eorum opinio, qui affirmativam sequuntur, idque propter *l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. verb.* Ubi si quidem apparet, cujus Jctu perierit, ille quasi occiderit tenetur, quid si non apparet, omnes quasi occiderint, tenentur. Et etiam per *all. Art. 148. Ord. Crim. vers.* Wäre aber der Entleibte durch mehr denn einem / die man weiß / gefährlicher weise tödtlich geschlagen / und verwundet worden / und man nicht beweislich machen / von welcher sonderlich Hand und That er gestorben wäre / so sind dieselben / so die Verletzung gethan haben / alle als Todtschläger zu dem Tode zu straffen. *Math. Berlich. part. 4. concl. 11. n. 33. 34. Math. Steph. ad Art. 148. Ord. Crim.*

XV. Ad delicta publica incestus & adulterium pertinent; Quantū ad priorem quærendū erit quid juris sit, si incestus inter ignotos commissus sit. R. A. poenā ordinariā excusari, cui propinquitas personæ reverā fuerit ignota, per *l. 4. C. de Incest. Nupt.* Quo faciunt verba *Const. Elect. 24. p. 4.* Desgleichen der so zwo Schwestern oder Mutter und Tochter wissentlich beschlafen hat. &c. Et *Ord. Eccles. rubric.* Welche Personen sich in Ehegelobnis / &c. §. Wie nun denen Personen &c. Als da sich eine Person mit zwo Schwestern / oder zween Brüdern wissentlich fleischlich eingelassen hätte. &c. Unde patet poenam incestus non nisi scienter delinquenti imponendam. Minus autem qui ignorantèr deliquerit, *Carpz. Pr. Crim. p. 2. qv. 74. n. 96.* Hinc volunt etiam DD. si matrimonium ejusmodi incestuosum ignorantèr contractum sit, nihilominus tamen liberos ex tali matrimonio natos, pro legitimis haberi, *arg. C. 2. §. 11. X. qui filii suat legitim. Vid. Brun. de Jur. Eccles. l. 2. c. 17. §. 11. ibiq. Dn. Stryck.*

XVI. Quid si adulterium cum ignotā commissum sit, v. g. si quis rem habeat cum nuptā, quam tamen innuptam putabat, vel cum aliā, quam putabat suam uxorem, nonne ab ejus poenā ordinariā excusabitur delinquens? Aliqui sunt qui dubitant, ex ea ratione, quod sicuti à poenā homicidii ordinariā non excuset, si quis alium, quam voluerit, occiderit, *arg. l. 18. §. 2. ff. de injur. Carpz. P. 4. C. 6. def. 1.* Sic quoque idem in adulterio dicendum esse volunt. Sed cum utrinque diversa sit ratio, & in priori casu simpliciter adsit animus occidendi, aut lædendi, in posteriori verò non adulterandi sed stuprandi animus tantum deprehendatur, affirmative decidi debet quæstio, quo-

mo-

modo decisum esse testatur *Carpz. Pr. Cr. qv. 61. n. 42. Add. Strwo. diff. Crim. s. 1b. 16.* Ut enim committatur adulterium, certa requiritur scientia quod sit Uxor, *Salicet. in l. 29. C. ad L. Jul. de adulter. n. 3. vers. insciente* & deinde ut dolo committatur. *l. pen. ff. ad L. Jul. de Adult.* Dolo autem quid facere nemo dici potest, qui inscienter facit. Unde cessante hoc adulterii poena quoque cessabit. Necessè autem hic est, ut ignorantiam prætendens juratò eam obtinere & juramento se purgare debeat. *Masc. de Probat Vol. 2. concl. 881. n. 1. seqq. Hippol. de Marsil. in l. 27. ff. ad L. Corn. de Fals. Gail. lib. 2. Obs. 48. n. 24.* Consistit enim ignorantia in animo; at quæ in animo latent, juramento probari debent. *cap. 6. Ext. qui matr. accus. poss. c. 4. Ext. de Excep.*

XVII. Hic circa delicta ignotorum annotandum erit, quid in Jure obtineat, si reus propter fugam, vel absentiam ignotus sit? Certè absentem ad poenam relegatione graviolem condemnari non posse constat *ex l. 5. ff. de poen.* Neque enim inauditâ causâ quenquam damnari æquitatis ratio patitur. *l. 1. ff. de Reqv. l. absent. dam.* Ideoque Jure civili necessarium est, ut rei absentes requirantur. *l. 1. ff. C. de requir. reis.* Qui si intra annum non comparuerint, pro confessis & convictis habentur, & bona eorum fisco vindicantur, *l. 1. C. de requir. reis.*

XIIX. Jure Saxonico contra eos instituitur Judicium Bannitorium, *der Achts Process.* Qui ut ritè instituatur, ante omnia requiritur, ut causa sit criminalis, ut constet de corpore delicti, & ut crimen tale fuerit commissum, pro quo poena ultimi supplicii reo, confesso vel convicto, irroganda veniat. *Carpz. Pr. Cr. p. 3. qv. 140. n. 42. seqq.* Quod si ita sit, constituitur Judicium Criminale, *wird das peinliche Hals. Gericht geheget/* & reus absens publicè citatur, & quidem vel ter, ut quælibet citatio duas septimanas complectatur, *Gloss. in Art. 67. tit. D. lib. 1. Landrecht;* Vel una citatione peremptoria, continente sex septimanas & tres dies. *Chil. König in process. cap. 27. Rubr. Von der endlichen oder peremptoriâ citatione;* Et hæc citatio publicè affigi debet in trium diversorum Dominorum territoriis, in dreyer unterschiedener Herren Landen. Citatione hoc modo factâ, si reus in termino primo non comparuerit, accusator *der peinliche Anwalt/* quem Judex ex Officio constituit, contumaciam ejus accusat, & tunc statim condemnatur & bannitur usque ad probationem legitimi impedimenti, & idoneam excusationem, *bis auf Ehehaft in die Acht/* & denuò citatur, eodem modo ut diximus, ad probationem impedimentorum. Quod si in termino secundo contumaciam non purget, vel planè non compareat, decla-

ra




ratur incidisse in bannum simplex, in die Unteracht affixâ declaratione banniis in locis, in quibus antea citatus fuit. *Coler p. 1. dec. 108. n. 2.* Si bannum ultra annum & diem saper se prorogare passus fuerit, incidit in bannum superius, in die Oberacht/ Ubi tamen antea eodem modo ac in banno simplici proceditur, & ad petitionem accusatoris absens prius ad probationem legitimorum impedimentorum condemnatur, bis uff Ehehaft in die Oberacht. Si autem in assignato termino ad probationem legitimorum impedimentorum non venerit, statim executive in Bannum superius declaratur: Also daß er in die Acht und Vorvestung erkläret/ aus dem Frieden in Unfrieden gesetzt/ sein Leib und Leben wie eines Vogels in der Luft jederman gemein (quæ verba tn. de Jure Saxon. noviss. non alium effectum habent, quàm ut tali modo declaratus à quolibet prehendi & Magistratui, ut incarcerationetur, ac de delicto denuò inquisitio instituatur tradi possit.) und in denselben Gerichte erläubet wird/ daß er ohne alle Straffe entleibet/ und vom Leben möge zum Tode gebracht werden/ und daß sich niemand an ihm vergreifen könne. Chil König in Tract. Bann sub tit. Urtheil und Erklärung der Achte. Et post hanc declarationem annotatus bona sua perdit, eaque fisco cedunt. *Gloss. in Artic. ii. verb. ziehet er seine Acht/ lib. 1. Landrecht. Coler. p. 1. Decis. 108. n. 50. seqq. Carpz. Pr. Crim. pag. 3. qu. 140. n. 120.*

XIX. Peculiaris poena contra delinquentes absentes & ignotos legitur in Historiis, Executio nempe in effigie, quam etiam adhuc in Italia & Gallia in usu esse testatur, *Jul. Clarus § fin. Pr. Crim. qu. 44. seqq.* & quæ plerumque in illos statuitur, qui atrocioris alicujus criminis, ut læsæ Majestatis, vel hæreseos, rei sunt. Ubi si post publicam peremptoriam citationem rei absentes non comparuerint, proceditur contra illos tanquam contumacissimos, & ipsius criminis objecti convictos, ita ut sententia definitiva in eos dicatur, ac in eorum effigie executio consumatur. Publicantur insimul eorum bona, *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj. § l. 5. C. Eod.* notantur cum liberis ac posteris suis infamiâ, *d. l. 5.* Adimuntur ipsis insignia gentilitia. Ædes eorum destruuntur, & in locum earum ignominia monumenta eriguntur. *Vid. Theodor. Colleg. Crim. c. 5. aph. 6. n. 38.* Hoc modo in Dania poenas luit absens & ignotus Gomes Ulefeldius. *Eras. Francis. Part. 2. Theat. Trag. Hist. ult.* Et in Gallia Ao. hujus seculi 54. Perduellis Princeps Condæus. *Theat. Europ. Vol. VIII. p. 590. seqq.*

TANTUM.





X 26159/14

ULB Halle 3  
007 212 542



LD 17







